J. N. J.

EXERCITATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

VANA SPE REGNI CHILIASTICI, SUB FINEM MUNDI IN HIS TERRIS CERTO EXPECTANDI,

Dicto Apoc. XX. v. 1-7. nixâ,

QUAM

INDULTU

SUMME REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUENDI,

Diebus XX & XXI. October. Anno MDCCXXIII.

PUBLICO EXAMINI SUBJICIET

M. FRIDERICUS WERNERUS,
SS. Theol. Baccal. ad D. Nicolai Diaconus.

LIPSIÆ,
Litteris SCHOLVINIANIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS ATQVE PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS CONSULIBUS, PRO-CONSULIBUS, ÆDILIBUS, PRÆTORIBUS,

TOTIQUE ORDINI SENATORIO
INCLYTÆ
REIPUBLICÆ LIPSIENSIS
GRAVISSIMO,

DOMINIS PROMOTORIBUS ac PATRONIS

OMNI OBSERVANTIÆ CULTU DEVENERANDIS,

HANC PRO LICENTIA DISPUTATIONEM,
CUM VOTO OMNIGENÆ PROSPERITATIS,
DICO atque DEDICO.





Ulla mihi apologia opus esse censeo, quod in conspectum vestrum, PATRONI MAXIMI, *jam prodiens hanc dissertationem inauguralem* Vobis *offeram, & insuper* inclytis Vestris Nominibus *inscribam, cum causas habeam graves atque prægnantes. Quis enim adeo hospes in hac urbe est, quem lateat, quanta beneficia à* VOBIS *mihi exhibita sint? Quo omnia alia silentio præteream, cum ista hic singulariter recensere non audeam, pauca tantum impræsentiarum proferam. Vigesimus quintus nunc volvitur annus, ex quo*

me

me extraneum in ecclesiæ vineam, divina directione moti, vocastis: & quidem primo in novo templo conciones vespertinas mihi concredidistis, post annos quindecim in Æde Thomana meridionales, sexennio vero integro elapso & paulo eo plus, mihi in templum Nicolaitanum translato, matutinas conciones die veneris habendas, sine ulla mea sollicitatione commisistis. Hæc mihi exhibita beneficia in mentem alte reposui, ut nullo tempore in me sint intermoritura. Hactenus tantum sollicitus fui, quomodo pro hoc singulari, ac vere paterno erga me affectu, meam gratam mentem declarare possem, quo meæ erga Vos, PATRONI MAXIMI, *gratitudinis & observantiæ publicum extaret testimonium. Nunc, opportuna occasione se offerente, meam disputationem pro Licentia Vobis,* PROMOTORIBUS AC PATRONIS *meis, consecrare ausus sum, non dubitans, quin hoc vile observantiæ pignus serena*

 fron-

fronte accepturi, bonamque in partem interpretaturi ſitis. DEUM autem ter Optimum Maximum *calidiſſimis veneror precibus, ut totum Ampliſſimum Ordinem Senatorium per multum temporis ſpatium ſoſpitem atque incolumem ſervet, omni benedictionis genere cumulet, omnibus quoque prudentiſſimis illius conſiliis ex alto ita adſpiret, ut eccleſiæ pariter ac Reipublicæ nullo non tempore ſint ſalutaria!*

MAGNIFICORUM AMPLISSIMORUMQUE NOMINUM VESTRORUM

Cultor obſervantiſſimus

M. FRIDERICUS WERNERUS.

Σὺν τῷ Θεῷ!

PRÆFAMEN.



Olius DEI omniſcii & omniſapientis eſſe interpretari viſiones, ſomnia & alia Scripturæ Sacræ abſtruſa loca, quis inficias ire poteſt, cum etiam Joſephus hoc fateatur? Gen. XL. v. 8. Licet quis mediis hermenevticis Scripturam Sacram interpretandi ſit inſtructus, attamen omnis ejus conatus verum ſenſum monſtrandi in vanum abit, niſi Deus mentem interpretis lumine ſuo illuſtret. *Ipſe enim revelat profunda & abſcondita, & novit, quid in tenebris, & lux cum eo habitat.* Dan. II. v. 22. Hinc Daniel & ſocii ejus a Deo cœlorum petebant, ut arcanum, a Rege Nebucadnezare poſtulatum, manifeſtaret & aperiret. Imo Daniel, non eſſe ſapientum arcana indicare, ſed ſolum Deum in cœlis abſtruſa revelare, & futura notificare poſſe v. 27. 28. regi monſtrat. Inter Scripturæ Sa-

cræ

cræ obſcura loca etiam noſter textus Apocalypticus vexatiſſimus eſt referendus, in cujus interpretatione multi hallucinati ſunt. Ante complementum viſiones rite interpretari, eorumque genuinum ſenſum a DEO intentum aperire, eſt res valde ardua, imo divina. Irenæus ſcribit libr. 4. adverſ. hæreſ. cap. 43. *Omnis prophetia, priusquam compleatur, ænigma eſt: cum autem impleta eſt, manifeſtam habet expoſitionem & intelligentiam.* Cum igitur allegata viſio Johannæa quoque ſit talis textus, qui perfectum complementum nondum conſecutus eſt; itaque ſolus DEUS exegetæ ope ſua verum ſenſum patefacere, & quid in hac viſione præfiguraverit, aperire poteſt. Hac quoque Spiritus Sancti aſſiſtentia freti, [cum in hoc textu viſionali, propter Chiliaſtas & alios Novatores explanando, nullum alium ſcopum præfixum habeamus, niſi GLORIAM DEI & veritatis divinæ indagationem,] ſimulque divina promiſſione Dan. XII, v. 4. nixi, DEUM TER OPTIMUM MAXIMUM calidiſſimis veneramur precibus, velit intellectum noſtrum ſuo gratioſo lumine colluſtrare, quo verum ab ipſo intentum ſenſum aſſequatur & penetret, voluntatem quoque ad aſſenſum flectere, quo in reperto ſenſu genuino acquieſcat. Faxit DEUS per CHRISTUM DOMINUM noſtrum, in Virtute Spiritus Sancti! Amen.

TEXTUS



TEXTUS AUTHENTICUS.

APOCAL. XX. v. 1-7.

1 Καὶ εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ.

2. Καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι διάβολος καὶ σατανᾶς, καὶ ἔδησεν αὐτὸν χίλια ἔτη.

3. Καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν, καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἔτι, ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη· Καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον.

4. Καὶ εἶδον θρόνους, καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ κρίμα ἐδόθη αὐτοῖς· Καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ, οὔτε τῇ εἰκόνι αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔλαβον τὸ χάραγμα ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν. Καὶ ἔζησαν, καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ χριστοῦ τὰ χίλια ἔτη.

5. Οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν, ἕως τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη. Αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη.

6. Μακάριος καὶ ἅγιος ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ· ἐπὶ τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Χριστοῦ, καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ χίλια ἔτη.

Verſio Vulgata.

ET vidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua.

Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille.

Et misit eum in abyssum, & clausit & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.

Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium JESU, & propter verbum DEI, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus, in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis.

Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes DEI & Christi: & regnabunt cum illo mille annis.

Versio B. Lutheri.

1 UNd ich sahe einen Engel von Himmel fahren, der hatte den Schlüssel zum Abgrund und eine grosse Kette in seiner Hand.

2. Und er grieff den Drachen, die alte Schlange, welche ist der Teuffel und der Satan, und band ihn tausend Jahr.

3. Und warff ihn in den Abgrund, und verschloß ihn, und versiegelte oben darauff, daß er nicht mehr verführen solt die Heyden, bis daß vollendet würden tausend Jahr, und darnach muß er loß werden eine kleine Zeit.

4. Und ich sahe Stühle, und sie satzten sich drauff, und ihnen ward gegeben das Gerichte, und die Seelen der Enthäupten, um des Zeugnis JESU, und um des Worts GOttes willen, und die nicht angebetet hatten das Thier, noch sein Bild, und nicht genommen hatten sein Mahlzeichen an ihre Stirn, und auf ihre Hand, diese lebeten und regierten mit CHristo tausend Jahr.

5. Die andern Todten aber wurden nicht wieder lebendig, bis daß tausend Jahr vollendet wurden. Diß ist die erste Aufferstehung.

6. Selig ist der und heilig, der Theil hat an der ersten Aufferstehung, über solche hat der andere Tod keine Macht, sondern sie werden Priester GOttes und CHristi seyn, und mit ihm regieren tausend Jahr.

CAPUT I. HISTORICUM.

De Chiliaſmo.

§. 1.



Ocus noſter Apocalypticus quaſi commune chiliaſtarum aſylum eſt, ad quod in regno ſuo chiliaſtico ſtabiliendo, tanquam ad ſacram anchoram, recurrere ſolent, hoc dicto ad palliandos errores ſuos temere abutentes. Licet chiliaſtæ ad errorem ſuum de regno chiliaſtico confirmandum ad alia quoque ſcripturæ dicta provocent, attamen nullus locus illis magis arridet, quam hic Apocalypticus quaſi palmarius. Hinc nonnulli in primitiva eccleſia Apocalypſin Johannis, an ſit ſcriptum θεόπνευστον, olim in dubium vocarunt, aut penitus repudiarunt, teſte Dionyſio Alexandrino apud Euſebium H. E. L. VII. Cap. XXV. cum caput præſertim vigeſimum ſomniis ac ſigmentis Chiliaſtarum ac Fanaticorum patrocinari videretur, propter obſcuritatem quoque a nemine intelligi poſſet. Aſt hoc non per ſe, ſed per accidens fit, ſi verus ac genuinus ſenſus hujus textus a multis non inveſtigatur. Sol ſane propterea non eſt obſcurus, quia oculi veſpertilionum ad ipſius lumen cœcutiunt. Sic vitium quoque non in ipſa Scriptura Sacra, ſed in caliginoſa mente hominis, principiis hermenevticis præſertim deſtituti, reperitur. Si quoque hoc vaticinium Johannæum propter obſcuritatem, cum chiliaſtæ occaſionem illud ad ſiniſtrum ſenſum detorquendi laſcivia humani ingenii ſumant, rejiciendum ſit, ſequitur, multa vaticinia & alia ſcripturæ loca, primo intuitu obſcura, haud eſſe recipienda, quoniam hæretici illa vel ex malitia, vel ex ignorantia in alienum ſenſum a Spiritu Sancto haud intentum rapere ſoliti ſunt. Si etiam hic liber, ſimul cum hoc textu, plane non intelligi poteſt, cur dicitur ἀποκάλυψις, rei abſtruſæ manifeſtationem, a ſolo Deo dependentem, Dan. II. v. 22. ſignificans? Cur Johannes Chriſtianos ad Apocalypſin, a ſe ſcriptam, ſcrutandam remittit dicens: *Beatus, qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ, & qui tenent, quæ in illa ſcripta.* Cap. I. v. 3. Multo magis in hujus textus aliquo modo obſcuri genuinum ſenſum divinitus intentum diligenter inquirendum, iſtoque reperto, a chiliaſtarum corruptelis eſt vindicandus, ne hoc textu ad errorem ſuum de mundano regno Chriſti ſicto palliandum amplius abutantur.

§. 2.

Chiliaſtæ & Chiliaſmus origine græca ſunt vocabula, nomenque ἀπὸ τῆς

χιλιάδος seu a millenario habent, hinc chiliastæ ab Isidoro Milienarii, & ab Augustino milliastæ & milliarii dicuntur, quia χίλια ἔτι seu mille annos, quorum Apoc. XX. mentio fit, de novo regno mundano, a CHristo in his terris ante extremum diem inchoando, variis deliciis repleto, milleque per annos duraturo, falso exponunt. Sed Chiliastæ aliique Fanatici dicto Apocalyptico nixi, spe regni Chiliastici, sub finem mundi certo futuri, falluntur, aliosque fallunt. Hoc loco quidem, Johannem de mille annis, in quibus Satanas ligari debet, ne gentes amplius seducat, loqui percipimus, ast non de mundano, ac omni felicitate repleto Chiliastarum regno & aureo seculo, utpote quod in hoc Capite XX. non fundatum, sed tantum in Fanaticorum cerebro natum est. Huic regno Chiliastarum A. C. in art. XVII. contradicit, ubi verba ita sonant: *damnant & alios, qui nunc spargunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.*

§. 3.

Primam itaque originem Chiliasmus e Judaicis fabulis, in eorum libris contentis, duxit, dum Judæi ante adventum Christi in carnem sibi mundanum quoque regnum de Messia suo imaginati sunt. Hodierni Judæi, Messiam adhuc expectantes, pari modo nullum aliud, nisi mundanum regnum, adveniente Messia, sibi pollicentur, fingentes, Messiam mundanum regem Patriarchas, Prophetas aliosque Judæos mortuos resuscitaturum, in terram Canaan introducturum, urbem templumque Hierosolymitanum instauraturum, omnia ethnicorum regna sibi bello subjecturum, delicatissimis cibis ac potibus populum suum repleturum, & instar aliorum Monarcharum in his terris regnaturum. Ejusmodi Judæorum somnia plura de mundano Messiæ regno voluptuoso ex Talmude & aliis scriptis Rabbinicis recenset B. Joh. Müllerus in suo Judaismo pag. 863. seqq. Gerson quoque, Judæus conversus, magno de convivio a Messia instituendo, inque Talmude descripto, in ejus refutatione Cap. XVI. Part. I. pag. 113. seqq. refert, Messiam, Judæis in terram sanctam introductis, super aureis mensis bovem magnum, nomine Behemoth, piscem eximiæ magnitudinis Leviathan, magnam avem Bar Juchna, delicatum ac millenarium vinum, quod in Paradiso creverit, inque vinaria cella Adami adhuc reservaretur &c. appositurum; illosque vario modo exhilaraturum esse. Vide plura de hoc convivio & regno voluptatibus pleno, a Messia instituendo, in Buxt. Synag. Jud. cap. L. pag. 734. seqq. Ejusmodi fabulis Judaicis omnino regni Chiliastici fundamenta jacta sunt, & ex his Judæorum somniis Chiliasmus enatus est, non solum crassus, sed & subtilis, dum hunc quoque judaicam fuisse opinionem, ac discrimen Chiliasmi crassi & subtilis in Judæorum scholis viguisse, solide ostendit B. Carpzovius in Progr. Pass. ad an. 1691.

§. 4.

§. 4.

In N. T. ecclesia primus Chiliastici erroris, ut & multorum aliorum, quos in ecclesiam introducere conatus est, autor fuisse traditur Cerinthus hæreticus. Cerinthus natione Judæus, a Judaismo quidem ad Christianismum transiens, attamen Semi-Judæus manens, ecclesiam Christi in Asia vario modo turbavit, ac Syncretismum inter Christianismum ac Judaismum molitus. Postquam enim nomen suum Christianismo dederat, hæreses suas contra verbum DEI excogitatas in ecclesiis Asiæ spargebat, Christi divinitatem negabat, illumque nudum hominem, ac ex congressu maritali genitum esse, blasphemabat. Et cum Cerinthus, uti ex August. de hæres. cap. 8. constat, Semi-Judæus fuerit, circumcisionis ac Sabbathi Judaici observationem esse necessariam, regnumque Messiæ sed mundanum, per mille annos duraturum, asseruit. Hinc in propatulo est, Cerinthum Iudaizantem ex fabulis ac somniis Judæorum de mundano Messiæ regno doctrinam de Chiliasmo, occasione Apoc. cap. XX. quem locum ad sinistrum detorsit sensum, hausisse, ac sequentibus temporibus ubique inter Christianos divulgasse. Cerinthus ejusque asseclæ, Cerinthiani a Cerintho dicti, Christum ante diem novissimum e cœlo visibiliter in terram rediturum, pios e mortuis excitaturum, omnibus impiis oppressis, regnum terrenum inchoaturum, inque illo resuscitatos ac superstites pios corporalibus deliciis per mille annos in his terris repleturum, variisque modis usque ad universalem mortuorum resurrectionem refecturum, uti historiæ testantur, statuebant. Eusebius libr. 7. Hist. Eccl. cap. XXV. Cerinthi hæresin ita describit: *Cerinthus hæresis illius, quam Cerinthianam vocant, conditor docuit, regnum Christi fore terrenum, & quæ ipse tanquam corporis sui studiosus, & vehementer carnalis concupiverat, in illis se futurum, somniavit, ventris videlicet, & eorum, quæ ventri subsunt, saturationibus, cibis nempe ac potibus & nuptiis, & quibus ista majore cum jucunditate acquirenda putavit; diebus festis, victimis ac sacrificiorum mactationibus.* August. libr. de hæres. cap. 8. scribit: *Cerinthiani, a Cerintho dicti, mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur, unde etiam Chiliastæ sunt appellati.* vide B. Gerh. L. Theol. Tom. IX. de Consumm. seculi, cap. 7. §. 67. pag. 443. Quis sic dubitare potest, Cerinthum Hæresiarcham Chiliastarum Proavum fuisse, ac Chiliasticas opiniones in N. T. ecclesiam primo introduxisse?

§. 5.

Verum enim vero Chiliasmus cum Cerintho hæresiarcha non sepultus fuit, sed suo errore Chiliastico nonnullos ecclesiæ Patres, græcos ac latinos, Chiliasmum Cerinthi ex parte amplectentes, infecit. Sicuti enim hæresis aliqua ceu

gangræna pastum habet 2. Tim. II. v. 17. & unus error, ab uno saltem autore haustus, ad quam plurimos emanat; ita quoque error Chiliasticus, a primo autore Cerintho profectus, orientem & occidentem pervasit, seque latissime diffudit. Papias Episcopus Hieropolitanus primus inter patres ecclesiæ, juxta testimonium Euseb. libr. 3. Hist. Eccl. cap. 39. & Niceph. libr. 3. Hist. Eccl. cap. 20. censetur opinione Chiliastica infectus, qui hanc ubique disseminavit, jactitans, regnum millenarium ex viva Apostolorum traditione ad se delatum fuisse: hinc aliis ecclesiæ doctoribus ejusdem erroris, illum ceu Apostolicam traditionem aspicientibus, causam dedit. Et cum hæc opinio prima fronte speciosa videretur, hinc nonnulli antiquissimi ecclesiæ patres istam, cap. XX. Johannis non recte intelligentes, amplexi sunt, v. gr. Justinus, Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Lactantius & alii, uti B. Gerhardus, quod errori Chiliastico addicti fuerint, ex historia ecclesiastica prolixe confirmat in L. Theol. Tom. IX. de consumm. seculi, cap. 7. pag. 445. seqq. It. Thumm. in impiet. Weigel. p. 319. seqq. Et Pfeiff. in Anti-Chil. pag. 94. seqq. Quanquam quidem nonnulli ecclesiæ doctores Chiliasticæ opinioni applauserunt, tamen vix credi potest, illos Cerinthi somnia ac Chiliasmum crassum de voluptatibus carnalibus in hoc mundo sperandis, sed potius subtilem de spiritualibus, fuisse amplexos. Licet quoque nonnulli patrum ad corporis delicias simul respexerint, non tamen carnales ac illicitas, sed Christiano dignas, indigitarunt. Hinc Dn. Affelmannus in Syntagm. Exerc. Acad. part. I. Disput. 3. quæst. 6. pag. 49. dicit: August. libr. 20. de Civit. Dei cap. 7. *Patrum opinionem vocat tolerabilem, si, quæ Cerinthus de corporalibus deliciis dixit, de spiritualibus acceperimus, ac se quoque aliquando illud fuisse opinatum, scribit.* Ubi observa, quod Augustinus spiritualium deliciarum nomine, opinionem patrum a Cerinthi hæresi distinguit: quo & pertinet, quod Irenæus, licet Chiliastarum opinionem tueatur, in Cerinthum tamen libr. 1. adversus hæreses cap. 25. propter illa dogmata, stylum stringat.

§. 6.

Quamvis autem postea per mille ferme annos de Chiliasmo altum in Ecclesia fuerit silentium, attamen Anabaptistæ eorumque asseclæ hunc errorem ex orco quasi revocantes, denuo in ecclesiam introduxerunt, vide Sleid. libr. 10. quos A. C. art. XVII. primario refutat. Horum vestigia, si non in totum, tamen ex parte premunt Sociniani, Arminiani, Weigeliani ac nonnulli Papistæ & Calviniani, vide Gerh. in L. Th. supra citatis, & Quenst. in System. Theol. part. 4. cap. 20. pag. 649. seqq. Chiliastarum opinionem hodie Enthusiastæ, Fanatici, Quackeri & alii novatores ex parte amplectuntur. Sed de Regno Chiliastico non est omnium eadem opinio, quia nonnulli Chiliasmo crasso, nonnulli subtili adstipulantur.

pulantur. Chiliaſmum craſſum tuentes ſomniant, regnum a Chriſto ante extremum diem & univerſalem mortuorum reſurrectionem, in his terris inchoandum, fore terrenum, omnibusque voluptatibus corporalibus ac mundanis refertum, perque mille annos duraturum. Chiliaſmo ſubtili addicti regnum quidem mundanum & aureum ſeculum ſtatuunt, ſed in quo ſumma pace ac perfecta juſtitia pii per mille annos fruituri, talemque ſtatum, qualis ante Adami lapſum fuerit, poſſeſſuri ſint. Interim ſubtiles quoque Chiliaſtæ inter ſe haud conveniunt, ſed diverſas de regno millenario fovent opiniones. vide L. Th. Gerh. ſupra citatos, ibid. pag. 462. 463. Dn. Affelmannus in Syntagm. Academ. Exercit. part. 1. diſput. 2. quæſt. 6. pag. 52. 53. quinque diverſas Chiliaſtarum ſententias refert. Dn. Neumannus in diſp. de Chiliaſm. ſubtiliſſ. Witteb. 1694. habita, Chiliaſmum in craſſum, ſubtilem & ſubtiliſſimum diſpeſcens, craſſum Cerintho ac Cerinthianis, ſubtilem a Papia profectum nonnullis orthodoxis eccleſiæ patribus, ſubtiliſſimum modernis quibusdam novatoribus adſcribit. Dn. Fechtius in Lect. Theol. in Syllogen diſp. 1. pag. 9. & 10. hujus triplicis Chiliaſmi, & in ſpecie ſubtiliſſimi pari modo mentionem facit. Vide quoque Dn. Fechtii diſp. de Chil. ſubtili Roſtoch. 1693. habitam. Cum autem omnes Chiliaſmum craſſum, ſubtilem vel ſubtiliſſimum propugnantes, in opinione ſua fulcienda, ad textum noſtrum Johannæum, tanquam primarium de regno Chriſti millenario agens vaticinium, provocent, itaque in iſto poſtea rite explicando, plane nullum ejusmodi Chiliaſmum exinde ſtabiliri poſſe, oſtendemus.

CAPUT II.
DIDACTICUM.

De genuino modo ad verum ſenſum myſticum, præſertim in viſionibus, perveniendi.

§. 1.

CUm omnes Chiliaſmi, qualis etiam ſit, propugnatores, opinionis ſuæ Chiliaſticæ aſylum in Scriptura S. hodie quærentes, capite XX. Johannis male intellecto nitantur, hinc neceſſitas efflagitat, ut ejus verus ac myſticus, a Deo Johanni certam per viſionem repræſentatus ſenſus, aperiatur & indicetur, ne hoc textu amplius abutantur. Senſus autem Scripturæ eſt duplex, literalis ac myſticus. Literalis eſt, qui proxime ac immediate per ipſa verba, ſive ſint propria, ſive figurata, ſignificatur, & ab ipſo Spiritu S. intenditur. Myſticus vero eſt is, qui non proxime & immediate per ipſa verba indicatur, ſed per res ipſas, mediante ſenſu literali, a Spiritu Sancto intenditur. Hinc in utroque ſenſu vero inveſtigando

gando, quo exegeta divinum & à DEO, autore scripturæ primario, sive per verba, sive per res in ista intentum, assequatur, omnis opera est adhibenda; alias loco verbi divini humanum tradit, hinc Hieronymus dicit: *Verbum DEI male intellectum non est verbum DEI, sed humanum.*

§. 2.

Sensum divinum indagandi cupidus in sacrum textum, illum juxta sonum verborum solummodo considerando, haud imprudenter ruat, licet neque sensus neque scopus ipsi cognitus: tantum enim abest, ut officio boni interpretis fungatur, ut potius in scriptura explicanda oleum & operam perdat. Sed exegeta ante omnia ad primarium dicentis scopum respiciens, thema principale in textu contentum eruere, ordinem, connexionem ac partes illius inquirere, argumenta in isto latentia vi logices enucleare, ac rationes probandi bene examinare necesse habet, quo, adhibitis principiis hermenevticis, hunc vel illum dicti Biblici electum sensum, nullumque alium esse divinum, certus sit. Inter hermenevtica principia est præcipuum, si thema e textu extractum, ac menti sacri scriptoris respondens, in Subjectum & Prædicatum, ac utrumque in circumstantias homogeneas distribuatur, quam resolutionem plerique interpretes exegesi textus non præmittunt, sed negligunt, & propterea sæpe a vero sensu ac scopo dicentis aberrant. Falsa enim scripturæ explicatio vel ex ignorantia, vel negligentia, vel malitia hominum proficiscitur, cum interpretes media hermenevtica vel plane ignorant, vel negligunt, vel non juste, sed male applicant. Veteres Rabbini itaque dixerunt: *in quocunque loco scripturæ invenis pro hæreticis objectionem, invenies quoque in latere ejus medicamentum seu responsionem.* Hinc summe necessarium est, ut exegeta, scripturam intelligendi cupidus, e sacro textu thema adæquatum ac menti divinæ respondens hauriat, atque partes ejus bene perpendat, ne in electione certæ sententiæ hallucinetur, & in dicti Biblici interpretatione vero a tramite aberret. Quis alias de vero sensu inter varias autorum sententias, neglecta textus ac contextus resolutione, certus esse potest, & qualem interpretum sententiam amplecti debet, nisi interpretationi suæ textus analysin præmittat? Hinc thematis in textu contenti distributio in partes Homogeneas non raro falsam explicationem respuens, exegetam verum ad sensum deducit.

§. 3.

Licet omnes Christiani interpretes v. 10. Gen. XLIX. de Messia agi concedant, attamen v. 11. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad nobilem vitem, fili mi, asinam suam*: non solum Judæi, sed & multi Christiani, inter quos Rivetus, Mercerus, Paræus, Lyranus, Tossanus, Grotius, Piscator, Flacius & alii de tribu Judæ ejusque promissa terræ fertilitate, non vero de Messia explicant. Autumant

tumant enim hi autores, Patriarcham Jacobum, poſtquam de adventu Meſſiæ v. 10. vaticinatus ſit, ad propoſitum ſuum v. 8. inceptum nunc redire, ac tribui Judæ fertilitatem terræ, quam ejus poſteri eſſent inhabitaturi, promittere, tantam nimirum in tribu Judæ fore vini copiam, ut ex unius vitis fructu aſina, ad vitem alligata, onerari poſſet. Sed hanc ſiniſtram explicationem reſpuit non ſolum *συνάφεια* textus cum contextu ac ſcopo Jacobi, ſed & analyſis textus clare oſtendit, hæc verba non de tribu Judæ ejusque terræ fertilitate, magnaque vini copia, ſed potius de Meſſia ac vocatione Judæorum & gentilium agi. Nam Jacobus in hoc verſiculo filium ſuum Judam ita alloquitur: *Meſſias gentiles ac Judæos ad eccleſiam vocabit:* ubi α) Subjectum eſt Meſſias אֹסְרִי ligans. β) Objectum eſt tam pullus, h. e. metaphorice gentiles, qui jugum legis Moſaicæ non ferebant, quam aſina ſive Judæi, oneribus ferendis aſſueti, quia lege Moſaica, tanquam gravi premebantur onere. γ) Locus eſt vitis, hoc eſt, metaphorice, eccleſia. δ) modus, in voce ligans, hoc eſt, vocabit, incorporabit, ac funiculo fidei ſibi adſtringet. Si vero hæc verba, juxta ſupra allegatos autores, de fertilitate terræ ingentique vini copia in tribu Judæ agunt, thema Jacobi ſane tale eſſe oportet: *Tribus Juda magnam vini copiam in terra ſua accipiet*: Sed quales partes hujus propoſitionis, quæ cum themate Jacobi conveniunt? Et in quibus verbis textus hæ circumſtantiæ: Subjectum, objectum reale & actus: quæ neceſſario adeſſe debent, ſunt quærendæ? Unde igitur ejusmodi ſiniſtra horum verborum explicatio? Nonne ex neglecta textus ac contextus reſolutione?

§. 4.

Multo magis in vero ſenſu myſtico enucleando reſolutionem exegeſi præfigendam eſſe, nemo dubitare poteſt, dum ejusmodi textus ſæpe obſcuritate ac difficultate laborat, hinc multi in ſono verborum hærentes, genuinum ſenſum in textibus parabolicis, typicis ac viſionalibus â Deo intentum haud aſſeqvuntur, nec intentionem loquentis penetrant, cum ſola verba, non res ipſas attendant. Verum enim vero in tali textu non ad varias circumſtantias parabolæ vel typo ornatus tantum gratia annexas, nihil autem denotantes, ſed ad primarium ſcopum & thema principale loquentis eſt reſpiciendum. Inde Auguſt. lib. 16. de civit. Dei cap. 2. dicit: *Non ſane omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt, ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, attexuntur.* Verba B. Sebaſt. Schmidii in comment. in Judicum cap. IX. p. 849. de ſenſu myſtico ita diſſerentis, nobis valde arrident: *Ut noſtram in genere exponamus ſententiam: exiſtimamus, obſervandam omnino eſſe regulam receptam: in apologis & parabolis non omnia eſſe applicanda, cum multa vel ornatus cauſa ponantur*

nantur, vel natura rei, unde apologus seu parabola sumitur, id exigente. Et res se omnino ita habet, & regula Theologorum est observanda: *Theologia symbolica non est argumentativa.* Glassius in Phil. S. lib. 2. de sensu mystico pag. 347. dicit: *in parabolis, si integre accipiantur, tria sunt: radix, cortex & medulla. Radix est scopus, in quem tendit parabola. Cortex est similitudo sensibilis, quæ adhibetur. Medulla seu fructus est sensus parabolæ mysticus, seu ipsa res, ad quam parabolæ fit accommodatio.*

§. 5.

Itaque optima via perveniendi in textibus parabolicis ad verum sensum mysticum est, si ubique tertium comparationis inter thema loquentis primarium & parabolam seu simile instituatur, & simul resolutio thematis in partes suas homogeneas explicationi parabolæ præmittatur, sic sane textui nulla vis infertur, quod autem, hoc requisito neglecto, omnino fit. Quæ causa, quod in parabola de prodigo filio Luc. XV. v. 11. seqq. nonnulli per prodigum filium Adamum, qui imaginem Dei amisit, per annulum Spiritum S. per vitulum mactatum sacrificium Christi, per epulum nuptias cœlestes &c. intelligant? vide Lys. Harm. cap. CXXI. pag. 75. seqq. Nonne ignorantia primarii scopi in parabola a Christo intenti, atque neglecta textus resolutio, exegesi præmittenda, sunt causa ejusmodi contortæ & absurdæ explicationis? Quod scopum parabolæ attinet, Christus contra murmurantes Pharisæos ac scribas factum suum, quod pœnitentes publicanos ac peccatores admiserat, defendit h. m. quicunque concedit, patrem filium suum pœnitentem in gratiam recipientem, non injuste agere, ille etiam concedere debet, me pari modo non injuste agere, quod pœnitentes publicanos in gratiam recipiam: Sed vos conceditis, patrem. &c. Si igitur πρότασις parabolæ cum ἀποδόσει conjungitur, talis comparatio in textu continetur: *Sicuti prodigus filius, cum malitiam suam humiliter agnosceret, à patre suo in gratiam recipiebatur; ita quoque pœnitentes peccatores a me in gratiam recipiendi sunt.* Themate reperto, tunc non verba textus, sed res ipsa, sive verus sensus mysticus, in partes homogeneas distribui potest, h. m. ubi est 1.) Subjectum, quod peccatores descripti tam a præterito statu impœnitentiæ, quam a præsenti statu pœnitentiæ. 2.) Prædicatum est illorum receptio descripta (α) a causa efficiente, quæ Christus, (β) a causa impulsiva, quæ ejus misericordia, (γ) a modo, (δ) ab effectu, qui Christi gaudium, (ε) ab eventu, qui hujus receptionis defensio, ubi p. Pharisæorum murmuratio sive invidia, contra quam Christus illam defendit. p. hujus defensionis qualitas. Reliquæ circumstantiæ in textu occurrentes, v. gr. porci, siliquæ, stola, annulus, calcei, vitulus saginatus, chori, hircus &c. non sunt ad rem spiritualem applicandæ, cum plane alienæ a scopo, neque textus resolutio-

nem

nem ingrediantur. Hinc canon V. in Glasſ. Phil. S. p. 348. obſervetur: *in parabolis non eſt opus nimia cura in ſingulis verbis anxium eſſe, neque in ſingulis ejus partibus adoptatio & accommodatio ad rem ſpiritualem nimis ἀκριβῶς quærenda eſt.*

§. 6.

Hic modus ad verum ſenſum myſticum perveniendi quoque in textibus typicis ac viſionalibus valet. Sermo quidem hic non eſt de typis illatis & ab eccleſiæ patribus ac aliis excogitatis, ſed de innatis & a Scriptura S. ipſa oſtenſis. De varia typorum diviſione ac diſcrimine vide Glasſ. Phil. S. lib. 2. pag. 318. ſeqq. Datur in genere duplex typus, hiſtoricus ſcilicet & propheticus. Hiſtoricus per hiſtoriam ſive factum V. T. rem certam plerumque in N. T. gerendam, ac præſertim Chriſtum ejusque beneficia præfigurat. Sic ſerpens æneus in commodum populi Iſraelitici erectus Num. XXI. v. 8. 9. Chriſtum in ſalutem generis humani exaltandum adumbrabat. Joh. III. v. 14. 15. Ubi quoque typus cum antitypo ſuo in certo tertio eſt conferendus. Typus autem propheticus eſt vel actio prophetica, prophetæ divinitus inſpirata, vel viſio prophetica rem occultam ac futuram repræſentans. *Non ſolum ſermone*, ſunt verba Irenæi, lib. 4. cap. 37. *prophetabant prophetæ, ſed & viſione, & converſatione, & actibus, quos faciebant ſecundum id, quod ſuggerebat Spiritus S.* Sic actio prophetica Eſaiæ divinitus inſpirata, qua nudus, ſeu veſte prophetica exutus, incedebat, Ægyptios & Æthiopes a rege Aſſyriaco victos, qui nudi & ſpoliati incedere deberent, ex intentione Spiritus S. præfigurabat. Eſ. XX. v. 2-5. Viſio prophetica vel vigilantibus, vel dormientibus divinitus oblata, rem occultam futuram adumbrat. Viſiones autem duplicis generis eſſe animadvertimus, nonnullæ enim ſymbolorum in viſione obvenientium additam habent interpretationem v. gr. Dan. IV. v. 7-12. & 17-24. Arbor formoſa usque ad ſtirpem radicum ſimul cum omni ejus ornatu amputata, & a Nebucadnezare in ſomnio viſa, regem Nebucadnezarem potentem a regio throno depellendum, omnique regia dignitate privandum, præfigurabat, juxta ipſius Danielis interpretationem. Nonnullæ vero nullam additam habentes ſymbolorum in viſione obvenientium interpretationem, antecedentibus viſionibus explicatu ſunt multo difficiliores.

§. 7.

Cum igitur ſequenti in capite viſio prophetica a nobis interpretanda, principalis de genuino modo in viſionibus ad verum ſenſum myſticum perveniendi jam oritur quæſtio, hunc enim ignorans, in viſionibus exponendis, ſæpius hallucinabitur, nec mentem Dei aſſequetur, ſed falſum ſenſum Scripturæ affinget. Magnum impedimentum eſſe, multos in viſionibus propterea intentionem Dei

non assequi, quia in explanando textu visionali solummodo visionem ejusque verba, ac minutissimas circumstantias, non vero primario rem ipsam, per typicam visionem adumbratam, respiciunt, firmiter credimus, cum tamen ubique inter visionem ipsam & rem per typicam visionem præfiguratam, sive inter exhibens & exhibitum accurate distinguendum, de qua re vero in commentariis altum est silentium. Ipsa Scriptura S. nonnullis visionibus explicationem immediate addens, diligenti lectori optimam quasi clavem illas rite interpretandi porrigit. Josephus inter visionem Pharaoni in somnio oblatam, & rem per istam præfiguratam distinguens, hoc tertium comparationis facit: *Quemadmodum septem vaccæ macilentæ e fluvio ascendentes, septem vaccas pingues devorarunt; Ita quoque septem anni famis venturi omnem abundantiam septem annorum præcedentium consument.* Gen. XLI. v. 19-21. & 30. 31. Hac via, scriptura ipsa præeunte, omnino etiam incedendum in textibus visionalibus explicandis, nullam additam interpretationem habentibus. Ante omnia autem ejusmodi visionum interpretatio ex toto contextu ejusque præcipuis circumstantiis, ex aliis parallelis scripturæ locis clarioribus, & ex visionis complemento, quæ ultima interpretatio omnium optima, desumenda, simulque analogiæ fidei conformanda est. v. gr. Am. VII. v. 1. 2. Propheta singularem habebat visionem: nempe locustæ ab aliquo, cordo e terra ascendente, formatæ, herbas & gramina terræ depascebant. Sed jam haud visionem ejus verba explicando, sed potius rem per hanc visionem a Deo repræsentatam, quæ ex contextu textusque resolutione constat, respicere nos oportet h. m. *Quemadmodum locustæ ab aliquo formatæ regias herbas ac cordum depascebant: ita etiam hostes, divino judicio excitati, totam regionem Israeliticam depopulaturi ac perdituri sunt.* Nunc textus partes sequentes explicandæ se ultro offerunt, nempe (α. Subjectum sunt hostes justo a Deo excitati, & regnum Israeliticum celerrime invasuri, qui per locustas ab aliquo formatas, & ingenti agmine irruentes præfigurantur. (β. Objectum est tota regio Israelitica, per herbas ac terræ gramina adumbrata. (γ. Modus consistit in totali regionis ruina, sub herbarum & cordi depopulatione repræsentata.

§. 8.

Benevolus Lector ne nauseam ex prolixe hactenus dictis hauriat, cum hæc præmittenda esse, omnino persuasi simus. Quomodo enim exegeta, in verba visionis illa explicando immediate ruens, absque cognito scopo & prævia visionis collatione cum re præfigurata, hujusque resolutione ac distributione in suas partes homogeneas, textui visionali satisfacere, atque divinum sensum assequi potest? Tantum abest, ut omissa visionis cum re adumbrata collatione, & neglecta adumbratæ rei in suas partes, inter se quoad constructionem bene cohærentes,

rentes, distributione, verus scripturæ sensus in visionalibus præsertim textibus investigari queat, ut potius in visionum interpretatione, contra Dei intentionem peccetur, dum verus sensus e scriptura, uti Theologi amant loqui, non eruitur, sed illi falsus infertur. Et licet in commentariis, ubi visiones explicantur, quos evolvimus, altum de hac re sit silentium, attamen experientia ipsa hunc modum comprobat, imo noster textus Apocalypticus hujus rei vivus quasi testis esse potest, quantum a chiliastis neglecto scopo ac omissa illius resolutione dilaceratus, inque plane sinistrum sensum detorsus fuerit. Hinc firmiter persuasi, per multa quoque exempla biblica, in collegiis Exegetico-Homileticis hactenus habitis, dicto modo resoluta confirmati sumus, hunc modum ad verum sensum mysticum perveniendi esse legitimum: hæc omnia tamen acri Magnorum Virorum judicio ac censuræ subjicimus.

CAPUT III.
EXEGETICUM.

De vero nostri textus visionalis sensu.

§. 1.

IN nomine Sacrosanctæ Trinitatis nostrum textum aggressuri, eandem methodum, quam ex diligenti scripturæ lectione hausimus, inque præcedente capite aperuimus, observabimus, scopum visionis Johannææ ostensuri, illam cum re per hanc adumbrata, præeunte scriptura, collaturi, atque analysin interpretationi præmissuri. Hac regula enim neglecta, omnis explicatio visionis Johannææ in fumum abibit, & oleum ac operam, in visionis verbis solummodo hærentes, non vero in rem allegoricis verbis involutam, & a Deo præfiguratam inquirentes, perdent. Cum autem duæ visiones respectu scilicet rerum, (quamvis nonnulli aliter sentiant, tamen absque fundamento,) nostro in textu reperiantur, quarum una statum ecclesiæ militantis, altera triumphantis adumbrat; hinc de utraque visione ejusque scopo ac sensu seorsim agendum. In capite XX. sub imagine Draconis ligati, soluti & judicati integra ecclesiæ facies, sive historia, a promulgatione Evangelii inter gentes per Apostolos facta, usque ad extremum diem omnino præfigurari videtur, hinc hæc visio visionum priorum est quasi ἀνακεφαλαίωσις. Johannes quidem Asiaticas ecclesias compellat cap. I. v. 4. usque ad finem cap. III. tamen aliarum quoque ecclesiarum conditionem & statum prædicere jubetur his verbis: *ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* Cap. IV. v. 1. Καὶ εἶδον, & vidi, sunt verba initialia, ac reddi possunt: deinde, vel post hæc, vel porro ac insuper, vel alia nova revelatione vidi. Quod primam

mam Johannis visionem, vel potius unius ejusdemque visionis primam attinet partem, illius oculis vel corporis, vel mentis angelus e cœlo descendens, clavemque abyssi tenens oblatus fuit, qui magna catena in manu Draconem comprehendendo vinctum in abyssum, ne amplius gentes seduceret, mille annos conjiciebat, quem vero consummatis mille annis e custodia sua solvebat. Quemadmodum autem Johannes in hoc prophetico libro præfixum scopum habet, Ecclesiæ faciem sive conditionem, quam Christus ei in variis visionibus ostenderat, depingere, vide cap. I. v. 1. & IV. 1. hinc ecclesiæ mox horribilem, mox florentem statum prænunciat, dum omnia ejus vaticinia ad certa temporum intervalla, & fatorum ecclesiæ mutationes spectant: Sicquoque in nostro textu res sese habet. In prima visionis parte Johanni futurus ecclesiæ militantis status florens ac quietus repræsentatur, quod Christus diabolo non amplius permissurus, Ethnicos imperatores, aliosque tyrannos ac hostes, uti hactenus factum, ecclesiam turbare, ac tam crudeliter persequi, sed illi potius halcyonia concessurus, quo per longum temporis intervallum in pace vivere, ac quiete frui possit, usque dum, consummato hoc tempore a Deo decreto, diabolus Muhammedanos aliosque tyrannos ac hostes ad Ecclesiam de novo crudeliter perseqvendam impulsurus sit.

§. 2.

Sicuti autem in textibus visionalibus, visionem in quodam tertio cum re per illam præfigurata conferre, ac πρότασιν in ipsa visione ἀπόδοσιν vero in mystico sensu quærere, optimus modus est; ita quoque in nostro textu, quo veritas rei eo clarius elucescat, procedendum h. m. *Quemadmodum angelus de cœlo descendens, magnamque catenam in manu habens, in visione Johanni repræsentatus, certum draconem ligatum per mille annos in abyssum detrudebat, ne amplius gentes seduceret; Ita Christus omnipotens Deus diabolum ejusque furorem in posterum per longum tempus cohibebit, ne tam crudeliter in ecclesiam sævire, nec per Ethnicos imperatores aliosque hostes graves persecutiones excitare queat.* Nunc ante verborum ac phrasium explicationem thesin hanc menti Johannis respondentem: *Christus omnipotens Dominus diaboli furorem in ecclesiam per certum tempus valde compescet:* in partes suas, cum thesi accurate cohærentes, distribuemus hunc in modum: α.) in subjectum. β.) objectum. γ.) modum. δ.) tempus. ε.) finem: sic omnia fient clara.

§. 3.

Primo itaque subjectum, furorem diaboli cohibens, in visione præfiguratum, explicabimus. Sed B. L. quod a communi modo visiones interpretandi, quo commentatores utuntur, abeamus, ne vitio nobis vertat, cum prægnantes

tes

tes habeamus causas. Interpretes in explicandis visionibus, uti ex eorum commentariis constat, immediate, neglecta visione sive similitudine, qua res mystica involvitur, in nudis verbis sensum quærunt dicentes: Per angelum a Johanne visum Christus intelligitur, per draconem ab angelo ligatum diabolus. &c. Qui modus autem textum visionalem tractandi, ut cum pace horum doctorum Virorum dicamus, nobis haud arridet, quoniam sic visio, qua res mystica tegitur, plane intacta relinquitur, quasi in visione nullus sensus literalis verborum detur, quod vero cum plurimorum Theologorum sententia pugnat, (*quilibet scripturæ locus sensum literalem admittit*, juxta Canonem III. Glass. in. S. Philol. libr. 2. de sensu liter. pag. 277.) simile sive visio quoque non in quodam tertio ad sensum mysticum applicatur, neque discrimen inter id, quod Johannes vidit, & quod per illud præfiguratum est, instituitur. Quæro, an oculis Johannis, vel corporalibus, vel mentalibus angelus certus de cœlo descendens, vel etiam draco in visione oblatus fuerit, nec ne? Si prius, cur sensus literalis non urgetur, sed celatur? Si posterius, nonne scriptura falsitatis accusatur referens, Johanni in visione angelum ac draconem apparuisse, quos autem non viderit. Accedit & hoc, contra canonem Theologorum peccari: *Plus est sæpe in typo, quam in antitypo:* item: *non opus est, nimia cura in singulis verbis anxium esse.* Glass. ibid. pag. 331. & 348. sic enim omnia ac singula vocabula, in visionibus reperta, præter mentem sacri viri ad rem mysticam accommodantur,

§. 4.

His præsuppositis, exegesin textus aggressuri, Subjectum tam in visione breviter declarabimus, quam quoad sensum mysticum aperiemus. Hoc unicum a B. L. expetimus, ut in interpretanda hac visione non tam commentatores, quoad hunc textum in diversas, imo nonnunquam inter se contrarias sententias abeuntes, suoque dissensu rem intricatissimam facientes, ut genuinum sensum eruiturus, lectione commentatorum, confusus fiat, sed regulas hermenevticas adire & attendere nobis liceat: Subjectum itaque Johanni in visione oblatum est angelus de cœlo descendens. Per angelum de cœlo descendentem, & a Johanne visum, Christum ipsum intelligunt Flaccius, Chytræus, Calovius, Neumannus, Gerhardus, Aretius, Hoë, Pfeifferus & alii; Cornelius a Lapide, Ribera, Dürfeld aliique creatum. D. Phil. Nicolai Tom. 2. oper. latin. fol. 185. Pontificem Romanum, cum jactaret, sibi cœlorum claves concreditas esse: Brigtmannus Constantinum Magnum. Sed h. l. omnino distinguendum est inter angelum visum, & personam per illum præfiguratam. Hinc, Johannem omnino creatum angelum e cœlo aëreo descendentem vidisse, dicendum, uti quoque custodes tempore resurrectionis Christi angelum Domini e cœlo descendentem, cujus species

erat ficut fulgur, & indumentum album ficut nix, viderunt. Matth. XXVIII. v. 2. 3. Hic quoque angelus apparens in manu fua clavem, qua janua reserari poteft, (uti quinto angelo clangenti talis clavis putei abyffi data erat. Apoc. IX. v. 1.) magnamque catenam, qua homines, vel etiam mordaces beftiæ, ligari folent, in manu habebat. Hic eft fenfus literæ five vifionis. Per hunc angelum creatum, Johanni in vifione oblatum, in manu clavem abyffi magnamque catenam habentem, ex intentione Dei angelus increatus filius Dei adumbratur, uti ita nominatur Gen. XLVIII. v. 16. Exod. XIV. v. 19. Malach. III. v. 1. potentiam & poteftatem in diabolum & infernum habens, dum Satanæ impedimenta in feducendis gentibus ponere poteft: *Habeo claves inferni ac mortis.* Apoc. I. v. 18. *Hæc dicit Sanctus ac verus, qui habet clavem Davidis, qui aperit, ut nemo claudat, & claudit, ut nemo aperiat.* cap. III. v. 7. *Hic fortior robuftum ac potentem vincendi potentiam habet.* Luc. XI. v. 22. *Hic venit, ut opera diaboli diffolveret.* 1. Joh. III. v. 8. Solius Dei eft, Satanam coercere, & intra pofitos limites continere. Utrumque claves habere & ligare, eft fymbolum tam potentiæ, quam poteftatis Chrifti. Sic claves traditæ metaphorice poteftatem denotant. Matth. XVI. v. 19. Ef. XXII. v. 22. Sic breviter fenfus tum literalis, tum myfticus monftratus eft; ac hæc duo quoque B. Dn. Lœfcheri verba in difput. de chiliafm. Thef. VI. defiderant: *diligenter advertendum eft, ut inter fignificationem tropicam fingulorum verborum vel fententiarum, quæ fenfum literalem gignit, & inter explicationem myfticam, quæ loci alicujus ufum fpiritualem fummatim duntaxat indicat, fenfumque literalem five hiftoricum fingulorum verborum five fententiarum, neceffario fupponit, rite ac recte diftinguamus.*

§. 5.

Objectum in vifione Johannæa refrænatum erat draco. *Dracones funt nihil aliud*, juxta verba B. Cypriani in hift. Anim. 609. 613. *nifi ferpentes valde annofi, & idcirco non differunt a reliquis ferpentibus, nifi magnitudine: alii longi quinque cubitos, alii decem, alii 30. alii 40. Et magni præfertim fquamis funt obfiti per totum corpus afperrimis, biante rictu oris, longa lingua, dentibus longis inftar apri, quibus cum mordent, etiam offa corporis frangunt, neque tam veneno, quam robore caudæ valent.* Talis draco ftabat coram muliere, quæ paritura erat, ut, quando peperiffet filium fuum, devoraret. Apoc. XII. v. 4. Mentio quoque fit in additamentis hiftoriæ Danielis magni draconis, cui Babylonii quotidie plurimos cibos cogebantur offerre, quem Daniel interfecit, conjecto in os illius quodam remedio cocto. Et quod ejusmodi draco, qui fpecies ferpentum, a Johanne vifus fuerit, quemque angelus de cœlo defcendens comprehenderit, quis dubitare poteft, dum iftum nominat ferpentem antiquum. Quod vero per hunc draco-

nem

nem & ſerpentem antiquum diabolus, gentes ſeducens, adumbratus fuerit, luce meridiana clarius eſt, (licet Lyra per iſtum intelligat Henricum V. & Brigtmannus Maxentium & Maximinum:) ſtatim enim hæc verba adduntur: *qui eſt diabolus & Satanas.* Sub imagine draconis & antiqui ſerpentis diabolus depingitur, propter iræ vehementiam, virulentiam, calliditatem & aſtutiam, confer Apoc. XII. v. 12. qui ſerpente organo ſuo abutens, Protoplaſtos callide circumvenit ac ſeduxit. Gen. III. v. 1-6. διάβολος à διαβάλλειν calumniari, decipere dictus Deutr. XXII. v. 19. Dan. VI. v. 24. idem eſt ac calumniator ac convitiator Eph. IV. v. 27. 1. Tim. III. v. 6. 7. quia Deum apud homines, & homines apud Deum calumniatur & accuſat. Job. I. v. 9. 10. 11. Apoc. XII. v. 10. שָׂטָן a radice שָׂטַן adverſari, vi reſiſtere, dictus. 1. Par. XIII. v. 17. Num. XXII. v. 22. 32. idem eſt ac adverſarius & hoſtis. 1. Sam. XXIX. v. 4. 1. Reg. XI. v. 14. 23. 25. quia Deo & hominibus adverſatur, totumque genus humanum immani proſequitur odio. Apoc. XII. v. 13. 1. Petr. V. v. 8. Et hunc hoſtem ejusque furorem in eccleſiam Chriſtus in poſterum compeſcere volebat.

§. 6.

Sequitur modus hujus ligationis. Johannes videbat, quod angelus è cœlo deſcendens draconem hoſtiliter aggrederetur, ac violenter comprehenderet, uti κρατεῖν uſurpatur de malo ſervo, debitorem ſuum magna violentia invadente, collumque conſtringente, Matth. XVIII. v. 28. ut & de viris bellicoſis, ſocios ſuos violenter comprehendentibus ac gladiis latus perfodientibus. 2. Sam. II, v. 16. Non ſolum draconem angelus magna catena manu tenens ligabat, inque magnam voraginem a Johanne viſam & abyſſum, tanquam in carcerem captivum conjiciebat, oſtium abyſſi clave in manu concludebat, illudque annulo obſignabat, ne fortaſſe clam vel vi ex abyſſo erumperet. Sic principes exercitus Nebucadnezaris Manaſſem catenis ligatum in Babel abducebant, inque carcerem conjiciebant, 2. Par. XXXIII. v. 11. & Phariſæi lapidem ſuper ſepulchrum Chriſti poſitum, ne reſurgere deberet, obſignabant. Matth. XXVII. v. 65. Per hanc ligationem draconis, detruſionem in abyſſum & ejus obſignationem non rejectio diaboli in infernum, juxta nonnullorum opinionem, intelligitur, ſed cohibitio ac coercitio diabolici furoris depingitur. Sicuti enim mordaces ac furioſæ beſtiæ vinculis ligantur, inque foveam, ne hominibus damnum inferant, conjiciuntur; ita quoque Chriſtus omnipotens Dominus furorem diaboli, ne in eccleſiam tam crudeliter ſæviat, neque tantas perſecutiones, uti antea factum, per ethnicos impe-

ratores, Saracenos, Turcas aliosque hostes excitet, cohibiturus, & ecclesiæ halcyonia concessurus erit.

§. 7.

Tempus, quamdiu draco ab angelo ligatus & in abysso conclusus fuerit, continetur in his verbis: *vinxit eum χίλια ἔτη mille annos.* Johannes non solum, quod angelus e cœlo descendens draconem ligatum in abyssum detruderet atque concluderet, videbat, sed &, quod draconis ligatio seu custodia mille annos duraret, ac iste non prius, quam consummatis mille annis, ex abysso emitteretur, animadvertebat. Sic etiam Johannes, quod angelus urbem, a Deo e cœlo descendentem, calamo mensus fuerit in stadiis duodecies mille, vidit. Apoc. XXI. v. 16. Quæritur nunc, quid hi anni mille a Johanne visi, in quibus draco in abysso ac custodia detentus fuit, adumbrare debeant? Chiliastæ ex his mille annis regnum suum chiliasticum suxerunt, hoc textu abusi haud exiguas turbas in ecclesia moverunt, statuentes, Christum ante extremum judicium in terram visibiliter rediturum, atque cum piis resuscitatis per mille præcise annos in mundo regnaturum. B. Calov. Bibl. illustr. pag. 1908. seqq. interpretes quoque respectu horum mille annorum inter se haud conveniunt, an pro tempore certo ac definito, num pro incerto & indefinito accipi debeant? Priori sententiæ adstipulantur B. Kromayerus, Hoë, Lucius, Aretius, Flacius, Pareus, Thummius, Pfeifferus, Calovius, Hoffmannus, Heunischius aliique: Posteriori autem Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Beda, Cramerus, Feuerbornius, Ribera & alii. Numerum certum per τὰ χίλια ἔτη intelligentes quoque discrepant, ubi sc. ponendus sit terminus horum mille annorum a quo & ad quem. B. Heunisch. in clave Apoc. pag. 28. terminum a quo incipere tempore Caroli Magni ann. 800. non vero tempore Constantini M. autumat. Plerique, terminum a quo incipiendum esse anno Christi 300. in Constantini M. Imperio, & terminum ad quem se usque ad annum 1300. extendere, statuunt, licet alii quoque aliter sentiant. Nam diabolus, dicunt, primis trecentis annis ethnicos imperatores ad decem horribiles christianorum persecutiones impellebat, ut in istos violenta ac crudeli immanitate sævirent, suamque idolomaniam igne & ferro propagare conarentur. Sed Constantinus Magnus his gentilium crudelibus persecutionibus frænum injiciens, hostes suos, Maxentium, Maximinum & Licinium, bello vincebat, atque ecclesiæ halcyonia, quæ usque ad annum 1300. durabant, concedebat.

§. 8.

§. 8.

Nobis potius ſententia eorum, qui mille annos ſymbolice pro tempore ſatis longo & indefinito ſumi ſentiunt, arridet, quia non tantum mille per hebraiſmum & uſitatam in Scriptura Synecdochen pro tempore indefinito ac ſatis longo uſurpatur, Exod. XX. v. 6. 1. Sam. XVIII. v. 7. Pſalm. CXLIV. v. 13. ſed & perſecutiones a Johanne deſcriptæ tam ad ethnicos ac Turcas, quam ad regnum Anti-Chriſticum ſpectant, vide v. ſeqq. 4. Accedit & hoc, quod mille anni Johanni in viſione oblati, in quibus draco in vinculis & carcere detentus fuit, juxta principia hermenevtica haud repræſentare poſſint præciſe mille annos, ſed tempus longum, non hominibus, ſed ſoli Deo omniſcio cognitum, cum aliud ſit res præfigurata, aliud Symbolum, ſub quo præfiguratur. Sicuti enim angelus magnam catenam manu tenens, ac draco vinctus non eadem, ſed alia objecta adumbrant; ita quoque mille anni. Dubitamus quoque unicum locum ex tota Apocalypſi Johannæa oſtendi poſſe, in quo tempus vel numerus in viſione repræſentatus, planus & nude poſitus eodem modo pro tempore aut numero definito ſumatur. Numerus definitus ac determinatus potius pro indefinito ac incerto uſurpatur tam in parabolis Matth. XX. v. 3. 5. 6. Luc. XIII. v. 7. 8. quam viſionibus. Ezech. XL. v. 5. ſeqq. cap. XLI. XLII. & XLVII. Zach. V. v. 2. Apoc. VIII. v. 1. XI. v. 11. XIII. v. 5. XIV. v. 1. 20. XXI. v. 16. 17. Cur non ex inductione horum locorum inferre licet? Ergo quoque in noſtro textu viſionali mille anni aliud temporis ſpacium, nobis vero ignotum, adumbrant.

§. 9.

Dubitandum autem eſt, an commode, juxta opinionem plurimorum autorum, dici poſſit, Satanam a Conſtantini M. tempore ligatum, ac hoc vaticinium impletum, & poſt ævum Conſtantini eccleſiam a violentis perſecutionibus per mille annos immunem fuiſſe, ac in pace & requie vixiſſe? Nonne ſtatim poſt Conſtantini M. tempora ſub perſecutionibus Arianicis, non ſolum fraudulentis, ſed & violentis, Satanas valde ſæviens graviſſimas perſecutiones eccleſiæ excitavit? Et quas graves Julianus Apoſtata poſt tempora Conſtantini movit? Quam crudelia quoque bella Saraceni ac Turcæ nonnullis poſt Conſtantinum ſeculis, florentiſſimis Imperii Romani regionibus intulerunt, illasque occuparunt, ac Chriſtianis Syriam, Armeniam, Ægyptum, Africam, univerſam Aſiam minorem, Cyprum, Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam aliasque regiones eripuerunt, & in eccleſiam crudeliter ſævierunt? vide Hiſt. Eccl. Gothanam part. 2. pag. 455. 468. 499. Imo barbaræ gentes,

Gothi, Wandali, Longobardi, Hunni aliique hoſtes in Seculo IV. V. & VI. usque ad VII. continuis irruptionibus, Imperium Romanum, non ſolum in oriente, ſed & in occidente, devaſtarunt, eccleſiamque crudeliter perſecuti ſunt, vide Boxhornii Hiſtor. Univerſ. An ejusmodi temporibus Draconem ligatum, inque carcerem, ne gentes ſeduceret, conjectum fuiſſe, & eccleſiam in tranquillitate vixiſſe, dici poſſit, judicio aliorum relinquam. Deinde animæ cum Chriſto mille annos hos regnantes deſcribuntur ut tales confeſſores, qui beſtiam non adoraverunt; ſed tempore Conſtantini M. beſtia non potuit adorari, cum nondum in confeſſores veritatis ſævire cœperit, ſed ſeculis a quarto longe remotioribus. Si quoque ſolutio Satanæ Turcas ſeducentis 1300. facta eſſet, quomodo hoc tempus durationis usque ad 1700. modicum appellari poſſet, dum plus, quam tertia pars horum mille annorum eſt? Itaque omnino gradus hujus ligationis, durantibus mille annis, agnoſcendi ſunt. Pipinus quoque, debellatis Saracenis, Weſtphalis aliisque populis idololatricis & Carolus M. paſſim in Germania, extirpato idolorum cultu, eccleſiam protexerunt, illique pacem conceſſerunt. Hinc B. Heuniſchius, in ſua clave Apocal. ab anno 800. mille annos inchoandos eſſe autumat. Sed, quo tempore præciſe hi mille anni cœperint, & quo anno finem habituri ſint, determinare non audeo, nec Spiritui Sancto placuit hæc nobis aperire. Interim non dubitamus, quin hi mille anni hoc tempore nondum conſummati ſint, ſed adhuc durent, & draco ligatus ſit, dum eccleſia a violentis ac crudelibus perſecutionibus ethnicis, Muhammedanis ac barbaris immunis, & halcyoniis a Deo conceſſis fruitur, bellum etiam crudeliſſimum, eccleſiæ in Germania, confer Apoc. XII. a Gogo & Magogo, quorum numerus ut arena maris, inferendum, in ſequentibus verſiculis prædicitur, quod ſane impletum eſſe non videtur. Perſecutio enim Gogi & Magogi ultima, ſoluto Satana & mille annis impletis, multo gravior ac terribilior antecedente a Spiritu S. deſcribitur, dum iſti eccleſiam evangelicam, quæ ex oriente in occidentem fugit, Apoc. XII. v. 6. & 14. non tantum invaſuri, ſed & oppreſſuri erunt, licet exiguum tempus, quia hoc immediate judicium extremum ſequitur. conf. Cap. IX. v. 14-21. ubi dicitur, quod in hoc bello Turcico tertia hominum pars occidenda ſit. Johannes Marckius in Apocal. pag. 943. exaggerat phraſeologiam his verbis: *Notatur hac phraſi, eccleſiam ab hoſtibus non tantum fuiſſe oppugnatam, ſed & undique arcte incluſam, absque humana ſpe emergendi, ita ut ad anguſtias ſummas, in quibus unus Deus ex cœlo opem ferre poſſet, illa fuerit redacta.* Vitringa in Comm. in h. l. pag. 873. ſcribit: *Omnes fere interpretes ſanioris Judicii,*

dicit, qui in Prophetia hujus libri exponenda versati sunt, hic hærent, & nemo eorum est, quod sciam, qui hactenus affirmaverit, demonstrari integrum implementum hujus Prophetiæ in historia, omnes illud in futurum tempus conjiciunt, & inter eos ipse quoque Grotius. Heunischius in clave Apoc. p. 38. dicit, de ultima sc. calamitate a Christo prædicta: *Cum igitur talis nondum evenerit, est utique adhuc expectanda. Et hanc futuram esse illam Turcicam, quis amplius ambigat? Qui enim, quæ de Gog & Magog tum Ezechiel tum Apocalypsis habent, jam duдum impleta esse autumant, nimium certe falluntur. Sive igitur spectes amplitudinem, ut longe lateque se diffundet, sive qualitatem aut durationem, vel etiam effectum, qui non corpus tantum & bona terrena, sed ipsam animæ salutem tanget, horribilior erit ista tribulatio illa Hierosolymitana.* Imo hic vir in Epilogo hujus Comment. Vienna Austriæ ab exercitu Turcico obsessa, scripto, determinat tempus, quo solutio draconis initium capere deberet his verbis. pag. 197. *Ab ea tamen nondum dimoveor sententia, quam in hac clave ex Apocalypsi Johannæa demonstravi, quod nimirum nondum adsit tempus, quo Germania nostra totumque imperium in potestatem Turcarum est venturum, sed quod id demum post annum Christi 1750. futurum sit.*

§. 10.

Tandem finis, cur Christus furorem diaboli in ecclesiam compescere velit, indicatur, ne amplius sc. gentes seducat, usque dum consummarentur mille anni. ἔθνη vi famosioris significationis denotant in genere populos ac nationes. Matth. XXVIII. v. 19. Apoc. VII. v. 9. Act. XVII. v. 26. Matth. XXVI. v. 32. Marc. XI. v. 17. Antea multos per annos diabolus tyrannis ac hostibus veræ religionis, suam infidelitatem & superstitionem gladio & igne propagare conantibus, consilia ecclesiæ Christi noxia inspiraverat, in eis amorem idololatriæ ac superstitionis, & odium veræ religionis suscitaverat, illosq; horrendas ad persecutiones veræ ecclesiæ impulerat; ne autem ejusmodi tyrannos ac hostes amplius ad ecclesiam tam crudeli modo persequendam excitaret, Christus diaboli potentiæ ac furori resistere, illique impedimentum ponere, & ecclesiæ halcyonia per longum temporis spatium concedere sibi constituerat. Impleto autem hoc tempore, ligatum draconem solvere, sive diabolo permittere vellet, ut Muhammedanos, Saracenos, Persas, Tartaros ac alios hostes ad novas ac valde crudeles persecutiones ecclesiæ ob ingratitudinem in Deum ejusque verbum & securitatem, per breve tempus impelleret. Hæc est prima pars visionis Johannææ ejusque genuina interpretatio, ac verus sensus.

§. 11.

Sequitur secunda pars hujus visionis, ad ecclesiam triumphantem spectans. Quærere enim quis posset, quid interim his mille annis diabolo sc. ligato, animabus illorum, qui ob testimonium Christi in persecutionibus ethnibus, Muhammeticis, & Anti-Christianis trucidati sunt, acciderit? Johannes respondet, illas in cœlis gloriose vixisse, cum Christo regnasse, omnique honore & cœlesti gloria esse fruitas, hinc ait: καὶ εἶδον vidi etiam, quasi dicat: nonsolum statum ecclesiæ militantis vidi, καὶ εἶδον vidi quoque sortem ecclesiæ triumphantis. Quo vero scopus Johannis eo clarius elucescat, πρότασιν cum ἀποδόσει hoc modo conferam: *Sicuti animæ propter Christi testimonium decollatorum, ac characterem super frontem suam non accipientium, a Johanne sub imagine visæ, super thronis sedebant, ac mille annos, in quibus draco ligatus erat, cum Christo regnabant; ita quoque beate mortui martyres ac veritatis evangelicæ confessores in vitam æternam translati, ibi felicissimo statu summoque honore ac gloria fruuntur, quo statu autem glorioso impii, idololatriæ ac superstitioni dediti, inque peccatis ex hac vita discedentes, privantur, & æternæ damnationi subjacent.* Hinc ex intentione Johannis talem thesin sub visione contentam, ante verborum interpretationem, cum sensus sit intricatus, eruam, atque in partes bene inter se cohærentes distribuam h. m. *Beate mortui martyres ac evangelicæ veritatis confessores tempore quietis, ecclesiæ in terris a Deo concessæ, in cœlis summo honore ac cœlesti gloria fruuntur:* in qua thesi se hæ partes explicandæ ultro offerunt: (α. Subjectum, describitur p. positive, sunt nimirum beate demortui martyres, ac veritatis evangelicæ confessores, p. remotive, non sunt impii in peccatis ex hac vita discedentes. (β. Qualitas, describitur p. positive, est status gloriosus & felicissimus, p. remotive non est status infelix, utpote qui ad impios demortuos spectat. (γ. Tempus durationis est longum temporis intervallum. Absque hac præmissa textus resolutione ac distributione in suas partes, vix mentem Dei quis assequi potest.

§. 12.

Subjectum igitur in visione Johannæa sunt tantum animæ a corporibus separatæ. In textu est transpositio Subjecti & prædicati more scripturæ, uti Rom. VI. v. 23. & Apoc. XIV. v. 13. Johannes animas decollatorum, super thronis collocatas, illique sub certa, nobis autem ignota, specie ostensas, vidit. Sic quoque sub altari animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, clamantes voce magna vidit. Apoc. VI. v. 9. Pari modo hic Johannes quoque vidit animas, tam quæ super thronis

con-

consederunt, quam quæ super illis non sederunt. Nam h. l. omnino repetendum est verbum εἶδον & vidi τὰς ψυχὰς animas sc. & beatorum, & damnatorum, uti Marc. XVI. v. 7. dicite discipulis & Petro sc. dicite. Per has animas duplicis generis, a Johanne sub certa forma visas, adumbrantur tam illi, qui statu felicissimo, diabolo ligato, in cœlis fruuntur, quam isto privantur. Prius Subjectum, Johannes in duas classes distribuit, suntque animæ p. decollatorum. p. eorum, qui bestiam non adoraverant. Per priores, securi sc. percussos, Johannes martyres in persecutionibus præsertim ethnicis ac Muhammeticis occisos depingit. Πεπελεκισμένοι securi percussi, a voce πελεκὺς securis dicti. Ps. LXXIV. v. 6. Bar. VI. v. 15. Fuit hoc pœnarum genus Romanis olim usitatissimum, dum sontes securi percutere solebant, (inde magistratus Romanus quoque cum securibus incedebat,) uti etiam adhuc in nonnullis regnis moris est. Per decollationem h. l. per Synecdochen speciei pro genere quodlibet supplicium, quo martyres a tyrannis affecti sunt, indicatur, uti quoque per gladium Matth. XXVI. v. 52. causam etiam, cur tam innumerabiles martyres trucidati, Johannes aperit, scilicet propter testimonium JESU, & propter verbum Dei, quia de JESU, quod sit filius Dei ac mundi salvator, per quem quis unice salutem consequi possit, testati sunt, verbumq; Dei receperunt ac defenderunt, & ob hanc causam morte martyrum obierunt. Posteriores, qui prioribus martyribus annumerantur, sunt bestiam non adorantes, neque imaginem ejus aut characterem super frontem suam, aut super manum suam accipientes. Quod sub imagine hujus bestiæ Anti-Christus & Papa Romanus depingatur, uti Apoc. XIII. v. 11-16. cap. XVII. v. 3. seqq. cap. XIX. v. 19. 20. cap. XX. v. 10. probat variis argum. B. Hoë in Comm. in Apoc. pag. 475. seqq. Adorare bestiam & ejus imaginem idem est, ac divinum honorem contra Dei verbum Anti-Christo exhibere, illique in omnibus parere. Characterem super frontem ac manum accipere denotat ejus idololatriam profiteri, hacque re palam testari, se non ad Christi, sed ad Papæ castra pertinere. Per hos adumbrantur evangelici confessores præsertim sub papatu, qui falsam Anti-Christi doctrinam non receperunt, neque illius varias uncturas, rasuras ac similia signa idololatrica approbarunt, uti inconstantes hoc fecerunt. Apoc. XIII. v. 8. sed a papizantibus hæresibus animas in fidei puritate & doctrinæ simplicitate custodiverunt, in agnita religione evangelica constantes fuerunt, & pro sincera fide Christiana exilia, ignominiam, afflictiones, supplicia ac tormenta, imo mortem violentam forti animo tolerarunt. Quot millia ac myriades evangelicorum Christianorum papistæ in multis regionibus trucidaverint, histo-

riæ

riæ teſtantur. Hi martyres ac conſtantes veritatis confeſſores ſub Gentiliſmo, Muhammediſmo & papiſmo ſunt ſubjectum illud, quod mille annos, a Johanne viſos, feliciſſimo in cœlis ſtatu fruitur. Quod in v. 4 poſt fœmininum τὰς ψυχὰς ſequitur maſculinum οἵτινες, qui beſtiam ſc. non adorarunt, ut & maſculinum αὐτοῖς præcedit, eſt enallage generica in ſcriptura uſitata, indicans, non de rebus, ſed de perſonis ſermonem eſſe. v. gr. Euntes docete πάντα τὰ ἔθνη omnes gentes, baptizantes αὐτοὺς eos. &c. Matth. XXVIII. v. 19. Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, filioli mei, quos rurſum parturio. Gal. IV. v. 19. Et non tenens τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ caput, ex quo totum corpus conſtructum &c. Col. II. v. 19. In quibus locis pari modo occurrit enallage generis, confer etiam Apoc. VI. v. 9-11. ubi fœmininum præcedit, & maſculinum ſequitur: & Joh. XV. v. 26. præcedit neutrum, & ſequitur maſculinum: Quod attinet relativum αὐτοῖς præcedens v. 4. judicium datum eſt eis: referendum eſt ad id, quod in textu ſequitur, ut Matth. XVII. v. 18. vide Glaſſ. Phil. S. tract. 2. can. 11. pag. 194.

§. 13.

Subjectum vero, quod hoc ſtatu glorioſo in cœlis carere oportet, ſunt ψυχαὶ reliquorum demortuorum, hoc enim ſubjectum eſt omnino repetendum. Piſcator in h. l. per reliquos mortuos, qui non revixerunt intra hos mille annos, intelligit reliquos omnes corporaliter demortuos, qui non ſunt martyres, tam bonos, quam malos, citante Hoë in Comm. B. Pfeifferus in Anti-Chil. ſermonem eſſe de ſpiritualiter mortuis, qui adhuc in vivis ſunt, autumat. Reliqui interpretes omnes, quos evolvimus, B. Hoë, Thummio & Marckio exceptis, de ſpiritualiter mortuis, qui intra mille annos viſionales a peccatis ad novam vitam non reſurrexerunt, explicant, non vero ſimul de corporaliter talibus. Verum enim vero hanc interpretationem, ut cum pace ejusmodi Magnorum Virorum dicamus, propter connexionem cum antecedentibus, ac principia Hermenevtica non poſſumus amplecti, quia in toto hoc textu Spiritus S. de animabus a corporibus per corporalem mortem ſeparatis, non vero cum iisdem unitis, loquitur. Sicuti enim in v. 4. de martyrum ac veritatis confeſſorum animabus a corporibus per mortem corporalem ac beatam ſolutis ſermo eſt; ita quoque in v. 5. vi oppoſitorum per cœteros mortuos impiorum idololatriæ addictorum, hæreticorum ac hypocritarum animæ, quæ per corporalem mortem a corporibus ſeparatæ erant, intelliguntur. Οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν illis, qui ob evangelicam veritatem decollati, vel etiam in iſta conſtantes confeſſores usque ad mortem manſerunt, opponuntur, & ſunt tales,

qui neque martyres propter teſtimonium JESU, neque ex eorum numero fuerunt, qui beſtiam non adoraverunt, ſed potius in vivis idololatriæ beſtiæ usque ad mortem addicti veritatem evangelicam ſpreverunt. Johannes igitur omnes corporaliter demortuos, in beate & non beate mortuos diſtribuit, illorum ſtatum ut feliciſſimum, horum autem ut infeliciſſimum deſcribens. Sicuti mors vitæ æternæ oppoſita nullo modo, uti nonnulli explicant, mortem temporalem, ſed æternam, vi oppoſitorum, denotat: Rom. VI. v. 23. Ita quoque reliqui mortui, Paganismo, Muhammedismo ac Papismo pertinaciter adhærentes, quia beate mortuis opponuntur, ſunt iſti, qui in idololatria, impietate & incredulitate ex hac vita migrarunt. Quæ mors itaque in priori membro oppoſitionis intelligitur, eadem quoque in poſteriori eſt intelligenda: Sed in priori intelligitur mors piorum corporalis: Ergo etiam in poſteriori. Ita quoque manifeſta eſt oppoſitio quoad vitam h. m. Martyres ac Confeſſores demortui vixerunt in cœlis, reliqui vero demortui ſc. impii non revixerunt ſc. in cœlis. Conſentit Ambroſius in hunc locum ſcribens: *Cæteri autem mortuorum, id eſt, reprobi, poſt mortem corporalem non revixerunt, quia poſt mortem non ad vitam ducuntur, quæ in cœleſtibus ſanctorum animabus datur, ſed in infernum demerguntur, quæ in hoc libro mors prima vocatur.* Οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν reliqui mortuorum h. l. ponuntur pro reliquis mortuis: Similis conſtructio occurrit Apoc. IX. v. 20. καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων & cæteri hominum, pro reliquis hominibus.

§. 14.

Sequitur nunc ſtatus animarum poſt mortem, & quidem primo beatarum. Qualitas glorioſæ fruitionis vitæ æternæ in cœlis Johanni repræſentatur. Vidit absque dubio magnum, auguſtum & regium conclave, & in iſto multos regios thronos, ſuper quibus animæ demortuorum martyrum & confeſſorum veritatis, ſub certa ſpecie, ac fortaſſe coronis aureis & albis veſtibus ornatæ, in regia dignitate conſederunt, cum Chriſto mille annos, in quibus draco in abyſſo detentus, regnarunt, atque in forma majeſtatica ſe conſpicuas præbuerunt. Sic quoque Johannes vidit ſuper thronis viginti & quatuor Seniores ſedentes, indutos veſtimentis albis, qui habebant ſuper capitibus ſuis coronas aureas. Apoc. IV. v. 4. Quoniam hic locus eſt obſcurus & valde difficilis, itaque omni ſtudio in ejus verum ſenſum a Deo intentum inquirendum. Johanni in hac viſione repræſentatur, qualem ſortem martyres ac confeſſores intra ſpatium horum mille annorum habuerint, nempe feliciſſimam, licet oculis inſipientium viſi ſint miſere mori, & valde infelices eſſe.

Sedere in thronis, vel collocari super thronis metaphorice idem est, ac maxima gloria in cœlis frui, confer Apoc. III. v. 21. Cap. IV. v. 4. Cap. XI. v. 16. Hinc hæc sessio non de thronis judicialibus, uti nonnulli explicant, sed de thronis summi honoris piorum martyrum ac confessorum est intelligenda. Sic etiam judicium dare h. l. non idem est ac judicandi potestatem dare, uti nonnulli exponunt, cum hæc potestas animabus a corporibus separatis haud attribui possit; sed potius autoritatem regiamque dignitatem concedere. Dan. VII. v. 22. Hæc phrasis quoque de Messia ipso usurpatur. Psal. LXXII. v. 1. 1. Joh. V. v. 22. Itaque his allegoricis phrasibus & sessione super thronis, cœlestis ac gloriosus animarum e corporibus per mortem egressarum status depingitur, quod Johannes ipse indicat, hæc verba addendo: *qui vixerunt & regnarunt cum Christo.* Vivere ac regnare cum isto idem est, ac maximo honore in cœlis frui, inque cœlesti pace ac tranquillitate vivere, ut & omnibus devictis hostibus, diabolo, mundo & carni gloriose dominari. Apoc. XXII. v. 5. 2. Tim. II. v. 11. & 12.

§. 15.

Johannes gloriosum animarum martyrum ac confessorum statum in cœlis describere pergens addit: ἄυ]η ἡ ἀνάςασις ἡ πρώτη, *hæc resurrectio est prima*, quæ verba cum v. 4. cohærent, dum v. 5. quasi parentheticus est, de quo infra. Chiliasmum propugnantes per resurrectionem primam intelligunt corporalem, interpretes autem Chiliasmo se opponentes, veteres & recentiores, cum orthodoxi tum heterodoxi, quos evolvimus, exceptis B. Matthia Hoë in Comm. in Apoc. pag. 273. & Theodoro Thummio in impiet. Weigel. p. 338. 339. (etiam systemata Theologica v. gr. B. Gerh. Tom. VIII. pag. 965. Brochm. P. II. pag. 6075. Quenst. Part. IV. pag. 657. Scherz. pag. 585.) per resurrectionem primam, spiritualem a peccatis ad regnum gratiæ intelligunt, de qua ageretur Matth. VIII. v. 22. Apoc. III. v. 1. Eph. V. v. 14. Sed ut cum pace tam multorum Virorum Doctissimorum dicamus, illorum sententiæ non possumus assentiri. Nam nullibi in Scriptura S. neque etiam in locis jam citatis, resurrectio spiritualis nominatur resurrectio prima. Deinde ἄυτη ἡ ἀνάςασις hæc ipsa resurrectio lectorem necessario ad certam resurrectionem, de qua Johannes in antecedentibus verba fecit, remittit; ac spiritualis resurrectionis in istis nulla mentio facta est: (multo minus corporalis, quam chiliastæ arripiunt,) ergo etiam spiritualis hic non intelligitur. Spiritualis quoque resurrectio a peccatis animabus a corporibus separatis, de quibus solummodo hic sermo est, quatenus cœlesti in gloria vivunt, non potest

attri-

attribui, uti hoc quoque B. Hoë in Comm. bene obſervat, quia martyres & confeſſores ante mortem ſuam in hoc mundo a peccatis reſurrexerunt ad vitam ſpiritualem, non vero demum in cœlis, neque etiam ibi in ſpirituali reſurrectione partem habent, quod tamen hic dicitur; *Beatus & ſanctus, qui partem habet* ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ *in hac prima reſurrectione.* Hinc αὕτη ἡ ἀνάστασις hæc reſurrectio, a Johanne dicta ἡ πρώτη prima, remittit nos, ut connexio textus requirit, ad illam, de qua Johannes in v. 4. locutus erat his verbis: ἔζησαν, καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ χριστοῦ, vixerunt & regnarunt cum Chriſto. Statum itaque animarum a corporibus ſeparatarum beatum ac glorioſum in cœlis, antea per iſta verba deſcriptum, jam nominat metaphorice reſurrectionem, & quidem primam, ad differentiam ſecundæ reſurrectionis die extremo futuræ, ubi totum compoſitum, ſc. homo anima ac corpore conſtans, in cœleſtem gloriam ac gaudia transferetur. Hæc autem prima reſurrectio animarum a corporibus ſeparatarum nihil aliud eſt, quam evectio, aſcenſio & translatio animarum ad vitam glorioſam ac cœleſtem, qua animæ novam in vitam quaſi reſurgunt, aſcendunt & transmigrant. Johannes ſolus hac phraſi utens, animarum translationem in vitam æternam nominat primam reſurrectionem ſc. ad cœleſtis gloriæ perceptionem, iſtam piis martyribus ac confeſſoribus adſcribens, de reliquis vero demortuis impiis eandem negans. Conſentit nobis ex Patribus Auguſt. lib. 20. de Civ. Dei cap. 6. dicens; *ſunt reſurrectiones duæ, una prima, quæ nunc eſt animarum, quæ venire non permittit in mortem ſecundam; alia ſecunda, quæ nunc non eſt, ſed in fine ſeculi futura eſt, nec animarum, ſed corporum eſt, quæ per ultimum judicium alios mittet in ſecundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem.* Si Judæorum reſtitutio ſive eccleſiæ reſtauratio quoque audit metaphorice reſurrectio; Ezech. XXXVII. v. 1-14. Si quoque hominum a morte peccati translatio ad vitam gratiæ ſpiritualis reſurrectio dicitur; cur non etiam animarum e mortalibus ac peccato obnoxiis corporibus translatio in vitam gloriæ appellari meretur metaphorice reſurrectio?

§. 16.

Hanc interpretationem Johannes in ſequenti verſiculo confirmat, illum occiſum martyrem & veritatis confeſſorem beatum ac ſanctum prædicans, qui partem ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ, in iſta reſurrectione prima, de qua ſc. in antecedentibus actum eſt, habet, ſive cujus anima cœleſtis gloriæ particeps facta eſt. Cauſam quoque, cur in prima reſurrectione partem habentes beatos prædicet, addit, quia *ſuper illis mors ſecunda non habet poteſtatem, ſed*

erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo. Per mortem secundam, qua phrasi solus Johannes utitur, metaphorice damnatio æterna intelligitur, uti constat ex Apoc. II, v. 11. Cap. XX, v. 14. Cap. XXI, v. 8. Sicuti enim homines per primam ac temporalem mortem, cui omnes propter peccata subjecti sunt, Rom. V, v. 12. Hebr. IX, v. 27. naturali privantur vita, illorumque animæ suis a corporibus separantur; ita impii per secundam mortem æterna vita ac cœlesti gloria privantur, & a divini consortii fruitione segregantur. Spiritus S. autem non omnes, qui spiritualiter a peccatis resurrexerunt, beatos ac sanctos prædicare posset, ita ut partem in vita æterna haberent, quia multi πρόσκαιροι, in proæretica peccata relabentes, inque illis ex hac vita discedentes, dantur, in quos mors secunda omnino potestatem habet. Hinc non de spirituali resurrectione ad vitam gratiæ, multo minus de corporali hominis è sepulchro, sed de resurrectione & ascensione animarum ad vitam gloriæ, h. l. est sermo. Suffragatur nobis Ambrosius, in hunc locum scribens: *Sed quia dicit*, sc. Johannes, *beatos esse eos, qui habent partem in resurrectione prima, non mihi de baptismo hoc dictum videtur, eo quod non omnes beati sint, qui per baptismum a morte animæ resurgere videntur.* Hinc Spiritus S. animas martyrum ac confessorum, in vitam æternam translatas, beatas prædicat, cum secundæ vel æternæ morti non subjectæ, sed ab hac in omnem æternitatem liberæ sint. Beati quoque martyres prædicantur, quia sacerdotes Dei erunt, & cum Christo regnabunt. Regnare cum Christo idem est, ac in regno gloriæ cœlesti honore frui, uti v. antec. 4. ostensum. Sacerdotem Dei & Christi in cœlis esse, nihil aliud denotat, quam Deo perfectissime servire in perfecta justitia & sanctitate, illumque celebrare & honorare, confer Apoc. VII, v. 9. seqq. Beati enim in vita æterna Deo continua sacrificia laudis, gratiarum actionis ac perpetui obsequii ferent. Ex collatione itaque v. 4. 5. & 6. satis clarum est, statum gloriosum animarum martyrum depingi, quo intra spatium temporis, in quo ecclesiæ militanti in terris halcyonia concessa sunt, fruuntur. Cum etiam secunda mors vitæ gloriosæ sive resurrectioni primæ ad vitam privative opponatur, quis dubitare potest, hanc resurrectionem primam esse æternæ vitæ fruitionem? Nam mors secunda neque est corporalis, neque spiritualis, sed æterna, sive translatio impiorum in infernum, ergo resurrectio quoque prima, cui hæc mors opponitur, neque est corporalis, neque spiritualis, sed æterna, sive translatio animarum piorum in vitam æternam. Nominatur translatio animarum ad beatitudinem resurrectio prima, ad differentiam secundæ, quæ fit die extremo,

mo, & eſt translatio totius hominis in gloriam cœleſtem, de qua ipſe Chriſtus: *qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ* ſive ad translationem ad vitam gloriæ, Joh. V, v. 29.

§. 17.

Sicuti autem de beate demortuis martyribus ac confeſſoribus, quod in cœlis glorioſe viverent, cumque Chriſto regnarent, & æterna beatitudine fruerentur, Spiritus Sanctus teſtatus eſt, quam animarum translationem ad gloriam metaphorice nominaverat primam reſurrectionem; ita è contrario de non beate mortuis, qui Paganiſmo, Muhammediſmo vel Papismo usque ad finem vitæ adhæſerunt, & in peccatis ac incredulitate è vivis diſceſſerunt, teſtatur, illos non revixiſſe, neque illorum animas poſt ſolutionem a corporibus in vitam æternam translatas ac cœleſti gloria fruitas eſſe, ſed hac caruiſſe, inque inferno ac miſerrimo ſtatu in æternum manſiſſe, confer Pſalm. XLIX, v. 15. Luc. XVI, v. 26. Sicuti autem omnia ferme hoc in textu ſunt allegorica, ita etiam non reviviſcentia impiorum, reſurrectioni piorum primæ oppoſita, allegorice accipienda eſt. Nec huic explicationi de non reviviſcentia damnatorum obſtat, quod additur: non revixerunt, donec τὰ χίλια ἔτι illi mille anni, ſc. viſionales, conſummarentur: ſenſus enim non eſt, ac ſi damnati poſt mille annos ſpem æternam vitam ingrediendi haberent, ſed potius, quod illos æterna a vita regnoque gloriæ in æternum alienos, ac cœleſti beatitudine excluſos manere oporteret. Sic particula donec negative pro nunquam ſumitur, 1. Sam. XV. v. 35. 2. Sam. VI. v. 23. Pſ. CXII. v. 8. Eſ. XXII. v. 14. ut & in ſpecie particula ἕως in textu occurrens v. gr. Matth. I. v. 25. Cap. V. v. 25. Cap. XVIII. v. 34. inque aliis locis, vide Glaſſ. Philol. S. libr. 3. tract. 5. Can. 12. pag. 706. 707.

§. 18.

Ultima circumſtantia hic conſideranda, eſt tempus durationis, quamdiu ſc. pii martyres & confeſſores in cœleſti gloria vivant, ac cum Chriſto regnent, reſpondet Johannes: χίλια ἔτη *mille annos*, in quibus nempe diabolus ligatus, & eccleſiæ militanti in terris halcyonia a DEO conceſſa ſunt. Verum enim vero hi mille anni incluſive, incluſo ſc. ſequenti tempore, non excluſive accipi debent, ac ſi, impletis his mille annis, non amplius martyres in cœleſti ac glorioſo ſtatu viverent, cum unius poſitio non ſtatim ſit alterius excluſio, ſed reliquum tempus ad diem usque extremum ſimul includatur. Die enim extremo animæ martyrum & confeſſorum a Johanne viſæ cum ſuis corporibus unientur, ac ſic totum compoſitum cum Chriſto in cœleſti gloria

 omnem

omnem in æternitatem regnabit. Apoc. XXII. v. 5. Matth. XXV. v. 46. Paulus de Christo quoque dicit: *oportet istum regnare, donec posuerit hostes suos sub pedes suos*, 1. Cor. XV. v. 25. propterea autem istum, hostibus suis sibi subjectis, non amplius regnaturum esse, haud negat. Sic quoque Matth. XXVIII. v. 20. *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Status igitur h. l. gloriosus ac felix, quo intra hoc tempus, Satana ligato, animæ martyrum ac confessorum veritatis in cœlis fruuntur, tantum describitur, reliquo tempore autem, quo in cœlesti gloria adhuc vivunt, & in posterum vivent, non excluso. Si v. gr. amico, alium in locum proficiscenti, quis dicit: totum annum bene vivas, donec redeas: reliquos annos sane post ejus reditum non excludit, ac si in istis non bene vivere debeat, sed simul includit. Ita quoque h. l. accipitur, ac sensus est: martyres non solum cum Christo mille annos, Satana ligato, regnant, cœlestique honore fruuntur, sed & consummatis illis mille annis, ac soluto diabolo, imo in omnem æternitatem gloriose vivent, ac cœleste regnum possidebunt. Dan. VII. v. 18. Hæc est secunda pars visionis Johannææ ejusque genuina interpretatio, ac verus &, uti firmiter persuasi sumus, a DEO intentus sensus.

CAPUT IV.
PORISMATICUM,

De consectariis ex hoc textu rite explicato fluentibus.

CUm textus biblicus non solum in hunc finem hermenevtice tractandus, ut de genuino ejus sensu constet, sed & ut sensus verus investigatus in usum ecclesiæ applicetur; hinc ex nostro textu rite explicato quoque porismata sive consectaria sunt elicienda. Potiora autem exinde fluentia sunt sequentia:

I. PORISMA. Chiliastarum opinio in hoc textu plane nullum habet fundamentum.

Chiliastarum error, ex erronea hujus loci expositione ortus, de visibili Christi regno, quod in his terris incepturus sit, in fumum abit, cum ejusmodi regni terreni, ex cerebro Chiliastarum ficti, nullam Johannes mentionem faciat, neque etiam hoc regnum post piorum mortuorum resurrectionem ad hanc vitam, sub finem mundi expectandum esse, afferat. Refert quidem Johannes, sibi in priori textus parte statum felicem ecclesiæ militantis repræsentatum

ſentatum fuiſſe, quem Chriſtus eccleſiæ, ne tyranni & hoſtes hanc amplius tam crudeliter perſequerentur, per certum temporis intervallum concedere vellet; ſed nihil percipio de regno mundano, variis deliciis, vel corporalibus, vel ſpiritualibus repleto, ſub finem mundi a Chriſto in his terris inchoando. Pergit Johannes narrare, ſibi in poſteriori textus parte ſub imagine oſtenſum fuiſſe ſtatum eccleſiæ triumphantis glorioſum in cœlis, in quo animæ martyrum ſtatim poſt diſceſſum a corporibus ſuis cœleſti gloria & honore in vita æterna fruituri ſint; ſed nihil percipio de reſurrectione corporum ad hanc vitam, & regnum mundanum chiliaſticum, nihil quoque de oppreſſione omnium impiorum in hoc regno, quæ omnia tamen jactitant Anabapt. Weigel. & Quack. vide B. Olear. Syn. Err. Fanat. pag. 68. Quis igitur unicum veſtigium de chiliaſtarum regno mundano h. l. invenire poteſt? Hoc regnum expectandum, eſt ſuave ſed inane Chiliaſtarum ac Fanaticorum ſomnium, nec in Scriptura S. ſed in illorum cerebro reperitur. Si hi mille anni nondum inchoati, ſed adhuc expectandi eſſent juxta Chiliaſtas, ſequeretur, mundum ultra mille annos adhuc duraturum eſſe: quod poſterius autem abſurdum.

II. POR. Diabolus eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis eſt, illamque vario modo affligit.

Eſt enim ſerpens antiquus, qui protoplaſtos, illis felicitatem, in qua creati, invidens, ſeduxit, ſeductosque ſimul cum omnibus eorum poſteris ſummam in miſeriam animarum & corporum præcipitavit. Ex odio enim inveterato tyrannos ad eccleſiam perſequendam inſtigare ſolet. Imo ſicut leo rugiens adhuc circumit, fraudulentia ac violentia temporalem & æternam ſalutem hominibus auferre conatur, & præſertim piis vario modo inſidiatur, 1. Petr. V. v. 8. Apoc. XII. v. 12. 13. Quis Pharaonem ad opprimendos Iſraelitas inſtigavit, niſi diabolus?

III. POR. Potentia diaboli non eſt abſoluta, ſed limitata & circumſcripta.

Diabolo h. l. a Chriſto non concedebatur, ut pro voluntate ſua amplius gentes ſeduceret, ſed in abyſſum conjiciebatur. Conatus ejus quidem eſt, corporibus ac animabus piorum nocere, totamque eccleſiam perdere, ſed potentiæ ac malitiæ illius a Deo certi fines ac limites poſiti ſunt, quos transgredi haud debet, licet ardentiſſimo hominibus nocendi odio flagret. Conſtat hoc ex hiſtoria Jobi, certe ipſi non licuit pro lubitu cum Jobo agere, ſed

quantum

quantum isti a Deo concessum fuerit. Cap.I.& II. Non quoque licuit ipsi in porcos intrare, eosque in mare præcipitare, antequam a Christo veniam impetravit. Matth. VIII. v.31. 32. Hinc diaboli & potestas, & potentia, est coarctata, a concessione divina unice dependens. Unde recte Gregorius lib. 2. Moral. scribit: *a se ipso habet diabolus nocendi voluntatem, sed a Domino potestatem: quod enim ipse facere inique appetit, Deus fieri non nisi juste permittit.*

IV. POR. Diabolus in organis suis, impiis hominibus, efficaciter operatur.

Sicuti enim gentes seduxit, & ad varia mala, ut sibi obedirent, suamque voluntatem implerent, excitavit; Ita quoque impiorum animos ad multa atrocia peccata, mox malas cogitationes illis ingerendo, mox occasionem mala faciendi præbendo, mox eorum cor efficaciter obdurando, mox etiam illos ad desperationem incitando flectit. *Deus seculi hujus sensus infidelium excæcare solet, ne illis illuminatio evangelii splendeat.* 2. Cor. IV. v.4. *Operatur in filiis incredulitatis.* Eph. II. v. 2. Nonne diabolus in cor Judæ Simonis Ischariothæ injiciebat, ut Christum proderet? Joh. XIII. v. 2. Hinc Sadducæi angelos bonos ac malos esse negantes, valde errant. Act. XXIII. v. 18. Sic quoque Manichæi, qui diabolos pro motibus tristibus tantum olim habuerunt, illos autem esse ὑφιςάμενα inficiati sunt. Vide B. Scherz. Syst. Th. pag. 96. Sed ex malis operibus diabolorum satis elucescit, hos esse proprias subsistentias.

V. POR. Diabolus homines ad varia dissidia ac noxia bella gerenda excitat.

Nonne diabolus Ethnicos imperatores ac Saracenos seducens ad horrenda bella ecclesiæ immissa instigavit? Cum diabolus dissidiis ac rixis hominum delectetur, eorumque interitum cum temporalem, tum æternum avide quærat, hinc varia dissidia inter illos disseminat, ut alter alteri invidens, damnum inferre conetur. Præsertim potentibus regibus ac principibus inquietas cogitationes ingerendo, illos ad noxia & diuturna bella excitat. Nonne diabolus regem Ahabum ad noxium bellum permissu Dei instigabat, in quo rex ipse vulneratus morte violenta obiit? 1. Reg. XXI. Experti quoque majores nostri ferociam diabolicam in bello germanico, in quo multi ac innumeri homines exspoliati ac trucidati sunt.

VI. POR. Christus est omnipotens Deus, qui in diabolum & omnes creaturas absolutam potestatem habet.

Nonne

Nonne angelus Christum repræsentans, clavem abyssi habens, magnamque catenam in manu tenens, draconem apprehendit & ligat, ejusque furorem ac sævitiam frænat ac cohibet? Christo enim non solum secundum divinam, sed etiam humanam naturam infinita potentia & potestas competit, sese ad omnes creaturas, visibiles ac invisibiles extendens, quam posteriorem Calviniani v. gr. Beza, Zanchius, Massonius, Sohnius, Altingius, Piscator, Ursinus, Wendelinus, Bergius, Polanus, & alii, vide B. Olear. Syn. Error. Calv. p. 33. & Pontificii, Bellarminus, Becanus, Tannerus, Gregorius de Valentia, Gretserus, aliique inficiantur, vide ejusdem Syn. Err. Pontif. pag. 13. It. Quenst. Syst. Th. P. III. pag. 168. Scherz. Coll. Anti-Calv. pag. 190. & 198. ut & Brochm. Syst. Theol. P. I. pag. 788. concedunt autem potentiam creatam & finitam. Sed Christus ipse illis contradicens dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, Matth. XXVIII. v. 18. *Habeo claves inferni & mortis*. Apoc. I. v. 18. *Data est filio hominis potestas æterna*. Dan. VII. v. 14. Propterea nominatur *Rex regum, & Dominus dominorum*. Apoc. XIX. v. 16. De isto David dicit: *magnus JEHOVAH, & Dominus noster præ omnibus diis, omne, quod vult JEHOVAH, facit in cœlis & in terra, in maribus & omnibus abyssis*. Ps. CXXXV. v. 5. 6. Omnia in mundo regit ac gubernat, omnia sustentat, omnia ipsi ac potestati ejus subjecta sunt. *JEHOVAH occidit & vivificat, descendere facit in infernum, & ascendere facit*. 1. Sam. II. v. 6.

VII. POR. Quælibet res certam, ac divinitus constitutam temporis periodum habet.

Datur enim tempus a Deo constitutum, in quo Satanas tam per mille annos, ne amplius pro lubitu ecclesiæ nocere possit, ligatur, quam iterum solvitur. Sic Deus cuilibet rei certam temporis periodum ordinat, quam nemo impedire potest, a Deo constituto termino autem impleto, res rursus mutatur. *Ipse mutat tempora & momenta, deturbat reges, & excitat reges*. Dan. II. v. 21. *Deus præfinit præordinata tempora, & limitum positionem habitationis hominum*. Act. XVII. v. 26. Hinc vicissitudo temporum in vita humana ex ordinatione vel permissione divina semper datur, ita ut jam huic hoc, isti aliud per certam temporis periodum contingat, hac autem absoluta, tota rei facies mutatur. Hæc vicissitudo ex historia Josephi ac Jobi luculenter apparet. Salomo dicit: *omnibus tempus est, & tempus omni voluntati sub sole. Tempus ad plorandum, & tempus ad ridendum*. Eccl. III. v. 1. 4. Deus septuaginta annos constituerat, in quibus Judæi in captivitate Babylonica commorari debebant. Jer. XXIX. v. 10. Errarunt igitur gentiles Philosophi, Protagoras, Democritus, Epicurus, Plinius & alii, qui Deo omnem curam ac

providentiam circa mundi inferiora derogarunt: ut & Stoici omnes temporum vicissitudines fato adscribentes. vid. Scherz. Syst. Th. pag. 125. & Quenst. Syst. Part. I. pag. 537.

VIII. POR. Ecclesiæ a Deo nonnunquam halcyonia, quo in pace ac quiete vitam suam agere queat, conceduntur.

Cur angelus Christum adumbrans draconem ligatum in abyssum conjiciebat, nonne hoc, ne gentes amplius ad ecclesiam persequendam seduceret, faciebat? Deus enim est iste, qui terræ habitatoribus, ob commissa peccata proæretica, bellum immittendo, hostibus permittit, ut istos spolient, denudent, & omnia ab illis auferant. Inde Deus dicit: *Quis dedit in prædam Jacobum, & Israelem spoliantibus? Nonne Jehovah, cui peccavimus?* Es. XLII, v. 24. Est etiam iste, qui halcyonia & pacem largitur. *Ego Jehovah, & non præterea: formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ego Jehovah faciens omnia hæc.* Cap. XLV, v. 6, 7. *Dabo pacem in terra, ita ut secure cubetis, & non sit perterrefaciens.* Lev. XXVI. v. 6. Quoties, & quamdiu Deus ecclesiæ Israeliticæ nonnunquam pacem concesserit, ex historia Judicum & Regum constat.

IX. POR. Omni tempore constantes veritatis confessores, qui idololatriæ falsæque Anti Christi doctrinæ haud fuerunt addicti, vixerunt.

In textu etiam eorum, qui bestiam non adoraverant, neque imaginem ejus acceperant, mentio fit. Constantia enim in evangelica veritate ac fide ad salutem consequendam requiritur. *Quisquis perseveraverit ad finem, servabitur.* Matth. X, v. 22. Hinc veri Christiani semper de Christo, Servatore suo, testimonium aperte & ingenue coram hominibus, hoc postulantibus, perhibentes, doctrinæ ejus firmiter adhærent, idololatricæ vero doctrinæ Papæ & aliorum hæreticorum contradicunt. Ita sancti Apostoli intrepide de Christo ejusque doctrina testati sunt. Act. V, v. 29 - 32. Nonne beatus Lutherus Wormatiæ in comitiis, in conspectu Cæsaris & statuum imperii Romani, publicum testimonium de Christo & evangelica doctrina publice edidit? Imo nullo non tempore, ab initio ecclesiæ fundatæ, fuerunt quidam religioni veræ adhærentes, falsæ vero contradicentes. Hinc Syncretistæ errant, religionis mixturam in ecclesiam introducere laborantes, ut & Arminiani, Episcopius, Curcellæus, Limborchius & alii, omnes cujusvis religionis, si modo symbolum apostolicum suscipiant, vitamque præceptis Christi conformem agant, pro membris veræ ecclesiæ agnoscentes, vide B. Olear. Syn. Err.

Err. Arm. pag. 5. 6. Sed Syncretiſmus repugnat divino mandato. 2. Cor. VI, v. 14. Apoc. III, v. 15. Syncretiſmus Samaritaniſmum divinitus prohibitum introducit. 2. Reg. XVII, v. 34. omnemque religionis ac pietatis Zelum extinguit, ut bene monet B. Gerhard. L. Theol. Tom. VI. de Magiſtr. §. 200. pag. 855.

X. POR. Veri Chriſtiani multa adverſa ob nomen Chriſti ejusque evangelium patiuntur, imo nonnunquam Martyres fiunt.

Johannes in textu animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium JESU, & propter verbum Dei videbat. Talem ſortem veri Chriſtiani omni tempore experti ſunt, imo adhuc experiuntur. Chriſtus de Paulo dicebat: *ego monſtrabo illi, quanta oporteat illum pro nomine meo pati.* Act. IX, v. 16. Ut & de omnibus ſuis apoſtolis: *alienos a ſynagogis facient vos: imo venit hora, ut omnis, qui occiderit vos, putet, cultum ſacrum Deo offerre.* Joh. XVI, v. 2. Nonne quoque omnes apoſtoli, excepto Johanne, ob nomen Chriſti & evangelicam doctrinam martyres facti, & violenta morte obierunt? *Nam per multas afflictiones oportet ingredi in regnum Dei.* Act. XIV, v. 22. Hinc Bellarminus valde errat, inter notas veræ eccleſiæ externam & temporalem felicitatem referens. Bellarm. lib. IV. de Eccl. cap. 3. ſeqq. Impii in hoc mundo plerumque ſunt felices. Jer. XII, v. 1. Pſ. LXXIII, v. 3. 4. 5. Pii vero variis afflictionibus ac perſecutionibus obnoxii, quod omnium fere temporum exempla comprobant.

XI. POR. Viris θεοπνεύςοις multæ & arduæ res, bonæ ac malæ, a Deo manifeſtatæ ſunt.

Deus Johanni in quadam viſione futurum ſtatum eccleſiæ militantis in terris, & triumphantis in cœlis manifeſtavit. *Sicuti multis vicibus, multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis;* Ebr. I, v. 1. Ita quoque in N. T. ſuam voluntatem vario modo ſignificavit atque revelavit, mox per immediatam inſpirationem, mox per externum alloquium. Placuit etiam Deo res arduas ſanctis prophetis & apoſtolis ſub involucris, in ænigmatibus ac viſionibus divinitus immiſſis, revelare, & ante eorum oculos ponere, quo illas hominibus denunciarent. Sic Deus Danieli per quatuor beſtias, e mari aſcendentes, ænigmatice quatuor magna regna in terris futura præfigurabat. Dan. VII. Petro quoque per quadrupedia terræ animalia invaſe, ex aperto cœlo in terram demiſſo, exiſtentia, & a ſe munda reputata, Deus aperit, quod etiam pœnitens ethnicus Cornelius & alii a ſe mundi cenſerentur, licet a Petro immundi & profani pronunciarentur. Act. X, v. 9-16. Errant autem Fanatici, A-

 nabapti-

nabaptiſtæ, Donatiſtæ, Weigeliani, Schwenckfeldiſtæ & alii poſt mortem Apoſtolorum, præter revelationes viris θεοπνεύστοις factas, inque verbo Dei comprehenſas, varias privatas revelationes, apparitiones & viſiones jactitantes. vid. B. Olear. Syn. Err. Fanat. pag. 6. 7. & Quenſt. Syſt. Th. P. I. p. 48. 49. Quas viſiones privatas ſolide refutavit Magnif. Dn. D. Valent. Erneſt. Lœſch. in diſput. de viſionibus & revelationibus 1692. Witteb. habita. ut & B. Johan. Meiſn. in Tract. Theol. de Prophet. novis.

XII. POR. Viſibilis in his terris eccleſia nunquam eſt pura, ſed cœtus mixtus ex bonis ac malis.

Johanni tam tales, qui beſtiam non adoraverant, quam qui doctrinæ Anti-Chriſtianæ addicti fuerant, in viſione repræſentabantur. Hinc Anabaptiſtæ, Donatiſtæ ac Weigeliani errant, eccleſiam viſibilem ex ſolis ſanctis conſtare autumantes. vid. B. Olear. Syn. Err. Fanat. pag. 53. 54. ut & Quenſt. Syſt. Th. P. IV. pag. 488. 489. Sed A. C. in Art. VIII. illis contradicit. In Eccleſia Corinthiaca non ſolum veri Chriſtiani, ſacra cœna digne utentes, ſed & hypocritæ, hanc indigne uſurpantes, reperiebantur. 1. Cor. XI. Imo in Apoſtolico collegio Judas proditor Chriſti erat. Joh. XIII, v. 21. Sicuti in agro non tantum triticum, ſed & zizania inveniuntur; quemadmodum quoque in ſagena, in mare jacta, piſces boni & mali dantur; Matth. XIII. Ita etiam in externo eccleſiæ cœtu tam chriſtiani, Chriſto ſincere ſervientes & adhærentes, quam mali ac hypocritæ, ſpeciem piæ vitæ externæ præbentes, virtutem ejus autem abnegantes, reperiuntur, 2. Tim. III, v. 5.

XIII. POR. Calamitates piorum tantum temporariæ ſunt, nec ſemper durant.

Sic ſecuri percuſſi propter teſtimonium JESU non ſemper in ærumnis manſerunt, ſed temporalem per mortem omnibus ex malis liberati ſunt. Licet pii ob pietatem ſuam multis ſubjecti ſint adverſis, ac non raro æſtum mundi, perſecutiones ac varia mala pati neceſſe habeant, attamen illorum adverſa non omni tempore durant, ſed deſinunt, vel adhuc in hac vita, uti ex Jobi hiſtoria eluceſcit, vel in beata eorum morte, in qua omnes calamitates ipſorum, in mundo remanentes, finem obtinent, quod beata pauperis Lazari mors comprobat. Luc. XVI. Sicuti enim non ſemper ingrata hyems eſt, ſed etiam ver ſequitur amœnum; ita quoque pii non ſemper infelici in ſtatu manent, ſed & poſtea recreantur.

XIV. POR. Dantur tantum duo loca poſt mortem, ad quæ animæ hominum perveniunt.

Non-

Nonnulli enim homines vivebant ac regnabant cum Christo in vita æterna mille annos, nonnulli autem morti secundæ sive æternæ subjecti erant. Hinc papistæ tertium locum, nempe purgatorium fingentes, valde errant: in specie Bellarm. L. I. de purgat. c. 6. Altum enim silentium in scriptura de purgatorio papistico est. Christus dicit: *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. XVI, v. 16. Nullam vero mentionem tertii loci facit. Lazarus quoad animam deportabatur in sinum Abrahæ, divitis epulonis anima autem in infernum detrudebatur. Ergo purgatorium est figmentum papisticum.

XV. POR. Datur post hanc vitam alia vita beata & æterna.

Videbat enim Johannes beatos in cœlis vivere atque cum Christo regnare. Hanc vitam æternam Christus credentibus promisit: *ego vitam æternam do ovibus meis.* Joh. X, v. 28. Hanc vitam æternam Jobus non solum credebat, sed & expectabat. Job. XIX, v. 26. 27. Hanc Christus pœnitenti latroni his verbis pollicebatur: *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Luc. XXIII, v. 43. Hanc vitam Christus passione ac morte promeritus est: *Christus JESUS mortem abrogavit, in lucem autem produxit vitam & incorruptibilitatem.* 2. Tim. I, v. 10. *Nos Deus non posuit in iram, sed in possessionem salutis, per Dominum nostrum JESUM Christum, qui mortuus est pro nobis.* 1. Thess. V, v. 9. 10.

XVI. POR. Electi in vita æterna omni a malo sunt immunes, summaque gloria fruuntur.

Vivunt enim isti, ac cum Christo regnant, suntque beati, & super illos mors altera non habet potestatem. Animæ electorum sunt sanctæ, & a peccato, errore & anxietate immunes, corpora haud subjecta ærumnis, morbis aut morti, sed immortalia sunt. Totus homo in statu felicissimo, omnique lætitia & abundantia repleto, perpetuo versatur. *Deus ab oculis illorum absterget omnem lachrymam, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor erit amplius, quia priora transierunt.* Apoc. XXI, v. 4. Paulus dicit: *reposita est mihi corona justitiæ, quam dabit mihi dominus in illa die justus judex, non tantum autem mihi, sed etiam omnibus, qui amant apparitionem ejus.* 2. Tim. IV, v. 8. *Justi fulgebunt ut sol in regno patris sui.* Matth. XIII, v. 43.

XVII. POR. Felicitas impiorum tantum temporaria, transitoria & vana est.

 Reli-

Reliqui mortuorum non revixerunt, neque æterna felicitate fruiti sunt, licet in his terris ad tempus felicissimi fuerint. Felicitas impiorum non raro in hoc mundo in statum miserum mutatur, gaudium in tristitiam, honor in contemptum, dignitas in contumeliam. *Deus removet Dynastas a throno.* Luc. I, v. 52. David dicit: *in lubricis ponis eos, dejicis illos in vastitates. Quomodo facti sunt subito in vastitatem? perierunt & consumti sunt a terroribus.* Psalm. LXXIII, v. 18. 19. *Vidi impium violentum, & virescentem sicut laurum viridem, verum præterii, ecce non erat ille: quæsivi quidem eum, sed non inventus est.* Psalm. XXXVII, v. 35. 36. Si quoque impiorum felicitas totam per vitam duraret, attamen in eorum infelici morte evanescit, & in statum horrendum mutatur. Hoc divitis epulonis exemplum comprobat. Luc. XVI. *Quando ditescet vir, & multiplicabitur gloria domus ejus, in morte sua non accipiet quicquam, non descendet post eum gloria illius, veniet ille ad generationem patrum illius, usque in æternum non videbit lucem.* Ps. XLIX, v. 17. 18. 20.

XVIII. POR. Datur omnino infernus & πȣ̃ damnatorum, ubi impii cruciantur.

Multi mortui non revixerunt, neque ad æternam gloriam translati sunt. Licet empectæ doctrinam de inferno ac damnatione æterna derideant ac despicatui habeant, attamen de hac re non est dubitandum. David dicit: *damnati sicut pecus in inferno ponentur, mors pascet eos.* Psalm. XLIX. v. 15. Anima epulonis in infernum & πȣ̃ damnatorum præcipitabatur. Luc. XVI. Deus dicit: *Ignis accensus est in ira mea, & ardebit usque ad infernum infimum.* Deutr. XXXII, v. 22. In infernum igitur omnes increduli descendunt, qui, mediis salutis rejectis, in sua incredulitate & impietate usque ad finem vitæ perseverant. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. XVI, v. 16.

XIX. POR. Damnati post mortem in horrendo statu sunt.

Non enim est istis pars in vita æterna, sed potius altera mors in eos potestatem habet. A beatifica Dei visione damnati separantur, omnique bono privantur. *Non ingredietur in vitam æternam ullus immundus, & faciens abominationem & mendacium.* Apoc. XXI, v. 26. *Foris sunt canes, & incantatores, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Cap. XXII, v. 15. Imo quoque tormenta horrenda patientur, & igne infernali in omnem æternitatem cruciabuntur. Dives epulo in inferno exclamat: *Crucior in hac flamma.* Luc. XVI. v. 24. *Vermis eo-*

rum

rum non morietur, & ignis illorum non extinguetur, eruntque fastidium omni carni. Es. LXVI, v. 24. *Fumus cruciatus eorum ascendit in secula seculorum, nec habent quietem diu noctuque.* Apoc. XIV, v. 11.

XX. POR. Non datur ante diem extremum corporalis resurrectio piorum particularis, sed die extremo demum eorum resurrectio in universali omnium mortuorum sequetur.

In textu enim de corporali resurrectione ad hanc vitam, ad quam Chiliastæ h. l. provocant, non est sermo, sed de plane peculiari, nempe de translatione & ascensione animarum martyrum cœlestem in gloriam; vide supra cap. III. Resurrectio piorum & impiorum in fine mundi, Christo ad judicium venturo, simul fieri debet: ergo non datur particularis resurrectio piorum ante finem mundi. *Multi de dormientibus in pulvere terræ evigilabunt, quidam ad vitam æternam, reliqui vero in opprobrium & ignominiam æternam.* Dan. XII, v. 2. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis, audient vocem filii hominis, & exibunt: qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii.* Joh. V, v. 28. 29. Imo Johannes ipse in eodem Cap. XX, v. 11 - 15. testatur, resurrectionem piorum & impiorum post consummationem mille illorum annorum, in quibus Satanas ligatus, & animæ martyrum vixerunt, cumque Christo regnarunt, demum die extremo & in fine mundi fore. Corporalis resurrectio quoque animabus a corporibus separatis, & in cœlesti gloria viventibus, quamdiu in cœlis separatæ vivunt, attribui non potest, sed corporibus competit; ἀνάστασις autem in textu non occisorum corporibus in terra jacentibus, sed istorum animabus, a corporibus suis per occisionem ac mortem solutis, tribuitur: ergo non proprie sed metaphorice sumitur. Et licet Chiliastæ ad Apoc. II, v. 8. provocantes objiciant, ἔζησαν vixerunt h. l. idem esse ac ἀνέζησαν vivificati sive resuscitati sunt: attamen ibi non de Christi resuscitatione, sed de ejus perenni, majestatica ac gloriosa vita sermo est, confer. Apoc. 1. v. 18. Deinde ἀνέζησαν non passive reddi debet: vivificati sunt, sed uti simplex, ἔζησαν vixerunt, confer. Luc. XV, v. 32. Rom. XIV, v. 9. Quod nonnunquam compositum pro simplici verbo usurpetur: v. gr. ἀπολέλυσε pro λέλυσε, ἀνέβλεψε pro ἔβλεψε. &c. probat B. Glas. in Phil. S. libr. 3. tr. 3. can. 1. pag. 229. ita quoque h. l. ἀνέζησαν pro ἔζησαν. Sic sane vana Chiliastarum ac Fanaticorum spes de aliquo regno Christi mundano, sub finem mundi in his terris certo expectando, plane evanescit ac in fumum abit, cum ejusmodi regnum mundanum non Christi, sed Chiliastarum phantasticum ac fictum sit. Nam

nullum

nullum regnum Christi est de hoc mundo, Joh. XVIII, v. 36. sed regnum Chiliastarum est regnum de hoc mundo: ergo regnum Chiliastarum non est regnum Christi, sed per consequens regnum phantasticum, & ex cerebro Chiliastarum profectum. Et sic Chiliasticæ opinioni, nostro textu Apocalyptico tanquam palmario nixæ, larvam detraximus, dum genuina nostra expositio hujus loci Chiliasmo crasso haud favet, (neque etiam subtili ac subtilissimo,) sed istum potius destruit, cum nullus plane ex hoc loco a nobis rite explicato stabiliri queat. Non Chiliasmus crassus, cum nulla resurrectionis corporalis in hoc dicto fiat mentio, animæ enim martyrum, quia non mortuæ sunt, ad hanc quoque vitam corporaliter resurgere nequeunt; Non subtilis, quia millenarium regnum mundanum sub finem mundi a Christo inchoandum in textu haud traditur; Neque etiam subtilissimus consistens in spe meliorum temporum, ex universali Judæorum & gentilium conversione promanante, summam ecclesiæ ante finem mundi felicitatem continentium, quæ autem Johanni in visione non præfigurata, sed conditioni regni Christi in his terris, quia cum temporali felicitate in scriptura nunquam conjungitur, potius est adversa. Vide B. Gerh. citato loco. Quod etiam regnum Chiliasticum non solum sit ἄγραφον, sed & ἀντίγραφον, multos articulos fidei destruens, vide prolixe de hac re disserentem B. Gerhardum in L. Theol. T. IX. de Consumm. Seculi §. 80. seqq. pag. 463. seqq. ut & B. D. Casparis Lœscheri disp. de Chiliasm. Witteb. 1712. habitam. Ac B. Neumanni disp. de Chil. subtiliss. Witteb. 1715. propositam. Nostri instituti exegetici ratio non fert, ut, fulcro regni Chiliastici, visioni Johannææ innixi, diruto atque destructo, ulterius progrediamur, sed potius ut nostræ dissertationi finem imponamus, Deoque gratias pro assistentia ejus humillimo animo agamus dicentes:

SOLI DEO GLORIA.

